R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.

RACCOLTA
VILLAROSA
B
428
NAPOLI

2
5-6

Racc. Vill. B. 428

# HISTORIA CRONOLOGICA MONASTERII S. MICHAELIS ARCHANGELI MONTIS CAVEOSI

Congregationis Caſinenſis Ordinis Sancti Benedicti

AB ANNO MLXV. AD ANNUM MCDLXXXIV.

Ex ejusdem Monaſterii Tabulario deprompta

*Acceſſit Series Genealogica Principum Benefactorum Monaſterij ex Nortmannica Altavillana Stirpe deducta.*

NEAPOLI, MDCCXLVI.
EX TYPOGRAFIA ABBATIANA.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

527342

Digitized by Google

MICHAELI ARCHANGELO
LEGIONUM ANGELICARUM DUCI
CAVEOSANI ASCAETERJ TUTELARI PRAESENTISSIMO
CHRONOLOGICAM HANC HISTORIAM
ROMANORUM PONTIFICUM PRIVILEGJS
PRINCIPUM DIPLOMATIBUS
SUFFULTAM
IN PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM
ABBAS SERAPHINUS TANSIUS
EJUSDEM HISTORIAE CONSCRIPTOR
ET HIERONYMUS SANTORIUS COENOBJ PRAESUL
CUM SUIS CAVEOSANO-CASINENSIBUS MONACHIS
D. D. D.



EML
Digitized by Google

# EMINENTISS. SIGNORE.

STefano Abbate pubblico Stampatore ſupplicando eſpone, come deſidera dare alle ſtampe un'Opera intitolata *Hiſtoria Chronologica Monaſterii S. Michaelis Arcangeli Montis Caveoſi Congregationis Caſſinenſis*, quindi ſupplica la bontà dell' E. V. a commetterne la riviſione ut Deus, &c.

Rev. D. Jacobus Martorelli in Reg. Univerſ. Linguæ Græcæ Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat: hoc die 7. Maii 1746.

*Canonicus Th. Rogerius pro Ill. Domino Can. Dep.*

MIratus ſum doctiſsimi P. D. Seraphini Tanſii ſedulitatem in colligendis clariſsimi Monaſterii S. Michaelis Arcangeli Montis Caveoſani Congr. Caſinatis monumentis: neganda autem non eſt venia typographo, ut ea in lucem prodat. Idib. Maii 1746.

Jacobus Martorellus. *Regius Græc. Ling. interpres.*

## S. R. M.

STefano Abbate proſtrato a' piedi di Voſtra Real Maeſtà ſupplicando eſpone, come deſidera dare alle Stampe un'Opera intitolata *La Storia Cronologica del Real Moniſtero di Monte Scaglioſo de' PP. Caſſinenſi*; per tanto ſupplica umilmente commettere la reviſione a chi meglio le parerà, e l'avrà a grazia ut Deus &c.

Admodum Rev. P. D. Iſidorus Sanchez de Luna in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat.

Neapoli die 3. Julii 1745.

*C. Galianus Archiep. Theſsal. Capell. Major.*

IMperio tuo libentiſsime obſequens Hiſtoriam Chronologicam Caveoſani Cœnobii a Reverendiſsimo P. D. Seraphino Tanſio Abbate Caſinate, ejuſdemque Monaſterii Filio deſcriptam attente perluſtravi; nec in ea quidquam animadverti quod Regiis Juribus aut Morum honeſtati vel minimum quidem poſsit officere. Caeterum quantopere naturalis ejus ingenii bonitatem dexteritatemque pridem ſuſpiciebamus in obeundis expediendiſque negotiis, cum Generalis Procuratoris totius Caſinenſis Congregationis munere in Romana Curia per ſexennium fungeretur; tantopere nunc in enodandis, aperiendiſque Diplomatibus ac Privilegiis ſui Aſceterii impenſum laborem, accuratam diligentiam admiramur; ut proinde cum ejus induſtriae Caveoſanum Coenobium temporum viciſſitudine pene collapſum priſtino dein ſplendori reſtitutum fuiſſe acceptum merito referre debeat; tum ingentem animo, ingentem Conſilio, ac maximum ſapientia, & pietate virum, Italiae noſtrae ſi minus Gallia invideat, vel ambiat tamen velletque ſuum. Praeſtat igitur ut hujuſmodi opus Maximo Caveoſani Coenobii, ac totius Caſinatum Familiae ornamento typographicis formis quamprimum in lucem edatur.

S. R. M. T.

Ex Monaſterio S. Severini die 22. Aprilis 1746.

*Humillimus Addictiſſimus & Obſequentiſſimus Famulus*

D. Iſidorus Sanchez de Luna Caſinenſis.

Die 2 menſis Junii 1746. Neapoli.

VIſo Reſcripto S. R. M. ſub dicta die 2. currentis menſis & anni, ac relatione facta per Rev. P. D. Iſidorum Sanchez de Luna de Commiſsione Reverendi Regii Cappellani Majoris de Ordine præfatæ R. M.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rever. Riviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica: Hoc ſuum.

MAGGIOCCA. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. ANDREASSI.

Illuſtris Marchio de Ipolito P. S. R. C. temp. ſub. imp.

Illuſtris Marchio Danza non interfuit.

Reg. in Reg. Regalis Juriſdictionis fol. 13. a terg. Larocca. Athanaſius.

Digitized by Google

# L E C T O R I

Optimè illi videntur ſuæ Patriæ conſuluiſſe, qui fideliter ejus primordia literis conſignarunt, & eorum nomina, quorum vel munificentia, vel præclaris facinoribus incrementum, ac ſplendorem illa accepit, Civium ſuorum memoriæ tradidere; etenim quæ poſteros juvare poſſunt ſolerter à temporis edacitate vindicant, ſimulque gratam excitant beneficiorum recordationem, & honeſtam æmulationem benefactorum. Quod utinam Majores noſtri præſtitiſſent, & ab incendijs, & cladibus antiquas Caveoſani Cænobij Tabulas fata ſervaſſent? Profectò nec manca nunc, nec acephala hæc noſtra Hiſtoria Chronologica prodiret; cujus texendæ quænam occaſio fuerit, quodque conſilium, ut agnoſcas, paululum in limine detineri patere, Lector benevole, juvat enim in anteceſſum ea præfari, quæ ad operis cognitionem maximopere conducunt.

Romam Caveoſo, ubi æconomicis curis ultra triennium diſtentus fueram, vix appuleram, cum eruditiſſimi Mabillonij literis renunciatum eſt, gratiſſimum ſibi fore, ſi Monaſteriorum *Italiæ* exquiſitiorum miniſtrarentur Monumenta ad ſuos Annales Benedictinos; quorum tunc editionem parabat, neceſſarijs rerum geſtarum narrationibus locupletandos. Ut verò clariſſimo viro æqua, nobisque utilia petenti morem gererem, plures doctos, mihique familiares Monachos, qua voce, qua ſcripto ſollicitare cæpi ad extrahenda ex Archivijs ſuorum Monaſteriorum, quæ in Gallias mitterentur; & nè diligens in alienis, domeſticarum rerum negligens viderer, præcipua mihi e Cænobio meo Di-

Diplomata mittenda curavi, quibus acceptis, brevem Synopſim confeci, quam Mabillonio cum hac Epiſtola direxi.

Vir Clariſſime. Seriùs quàm optaſſem tibi documenta tranſmitto ad meum Caveoſanum Sancti Michaelis Cœnobium ſpectantia, tuis annalibus, ſi digna ſint, inſerenda, quæ citiùs, largiorique manu miniſtraſſem, ſi, uti in votis erat, Tabularium illud coram licuiſſet excutere. Verum, quia adhuc Romæ detineor, ſatiùs duxi elumbem, jejunamque ſugerere notitiam, quàm prorſus tuis non obtemperaſſe mandatis, vel meo Monaſterio deeſſe, quod in illius gloriæ partem venire geſtit, quæ in totam Sancti Benedicti familiam ex tuis annalibus corrivabitur. Privilegiorum autem aliqua nobiliora ad verbum tranſmitto, ut ſi lubeat, edi poſſint in Appendicibus, reliqua verò, quæ penes me ſunt, ſummatim dumtaxat indicavi, ut à fuſioris lectionis incommodo te liberarem, tranſcripturus tamen ſi illa, vel eorum aliqua deſiderare ſignificaveris. Quædam prætterea adjeci ad Monaſteria noſtri Ordinis, quæ quondam Matheræ, vel in finitimis illis locis extabant, pertinentia, ut eorum memoria penitus non extinguatur, ſed in tuis cedro dignis annalibus perennet. Vale.

Hæc tunc ad Mabillonium ſcripſi. Verum plures poſt annos Caveoſum reverſus, perpendens ex noſtratibus neminem ad hanc uſque diem deſudaſſe in hujus Monaſterij Documentis colligendis, neceſſarium duxi hanc mihi provinciam aſſumere: *Diligentis quippe Viri eſt* (inquit Aretinus) *ſuæ Patriæ originem, progreſſus, & quæcumque illi ſuperiori tempore contigerunt, non ignorare.*

Ut autem pro dignitate hoc argumentum digererem, domeſticas chartas ſedulò volutare cœpi; ſed præter inſignia quædam antiqua Privilegia, & ſequioris ævi judicata, & contractus, nihil memoratu dignum, ſecus

ac

ac animo conceperam; occurrit; tunc autem qui fieri potuit (ajebam) Patrum noſtrorum neminem extitiſſe Sanctitatis nota inſignem, heroicarum virtutum decore commendatum, vel ſcientijs conſpicuum, quibus artibus unicè ſibi honores, & fortunas Benedictinæ Familiæ compararunt, cum alioqui Caveoſana Domus tot Principum, Pontificumque Diplomatibus, ac Elogijs ornata fuerit, tantaque bonorum affluentia ad invidiam uſque redundaverit! Certe, nè dicantur Majores noſtri tot Procerum pietati impoſuiſſe, præter meritum eximia beneficia, & loculentam Religioſæ pietatis commendationem extorquendo, quod utriſque foret injurioſum, culpandæ ſatiùs videntur innumeræ ab exteris Gentibus clades illatæ, nec minus Abbatum Sæcularium acuſanda eſt oſcitantia; quas ſimul ad veteres Monaſterij memorias, & ædificia eadem ruina obruenda conſpiraſſe dolemus[1], ut Dei ſpeciali beneficio tribuendum ſit, veterum Privilegiorum Archetypa, extremas tanti naufragij tabulas, & pauciora antiqui Monaſterij rudera ſuperfuiſſe. Porrò in hiſce rerum anguſtijs poſitus, animo revolvens illud Polybij: *Facta hominum referri debere, etiam ſi mediocria fuerint*, veritusque, me in illud deſidiæ vitium, quod in alijs reprehendebam, incurrerem, ſi manum è tabula retraherem, cœptis inſtiti, methodumque hiſtorico-chronologicam præ ceteris ſelegi, hæc enim non argumentum nobile, varium, & magnificum, ut Hiſtoria, nec continuam temporum ſeriem, ut Chronicon, ſuperſtitioſè expoſcit, ſed ſimplici ſtilo, aſcititium abhorrens ornatum, gaudet, aptior ad docendum, quam ad oblectandum; quod quidem potiſſimum in animo fuit, quippe qui non alio conſilio hanc Opellam conſcripſi, niſi ut Caveoſani Cænobij Aſcetæ, quorum commodo mea unicè deſudat induſtria, habeant unde domeſticarum rerum ſtatum, quinam per ſingulas fuerit ætates cognoſcant, & indè gratam eorum recolant

me-

Digitized by Google

memoriam, quorum beneficio hoc, quo fruuntur, otium partum eſt.

Narrationem exordiar, nonnullis de Monte Caveoſo, ac de Monaſterij origine prælibatis, ab anno 1065. quo primum Archivi Diploma ſcriptum videtur, illamque ad annum uſque 1484. proſequar, quando Caveoſanum Cœnobium Congregationi Sanctæ Juſtinæ, quæ paulo poſt Caſinenſis dicta fuit, adjectum eſt. Occaſione autem data, Matheranorum Præſulum, & Comitum Caveoſi Syllabum contexam, & nonnulla finitimas regiones, & Benedictini Ordinis Familias tangentia adjiciam, quæ quamvis noſtro Monaſterio extranea, a noſtro tamen inſtituto non videntur prorſus aliena.

Appendicis loco, quam alienum judicium penè extorſit, Arborem Genealogicam dabo plurium Principum, qui hanc domum beneficijs cumularunt, ut hac ſaltem grati animi ſignificatione promerita gratia tot eximijs heroibus perſolvatur. In annis verò, rebuſque geſtis Authores, qui probabiliora dixiſſe videntur, ſecutus ſum, quorum plures in margine dedi, quod Te Lector monitum velim, ne erroris me ſtatim arguas, quòd res aliter ab alijs narrentur, quorum præcipui ſunt Collenuccius, Summontius, & Gianattaſius, qui antiquos Authores parum conſuluiſſe videntur, cùm noſtris temporibus plura, quæ prius erant obſcura, innotuerint ſtudio Eruditorum, qui antiquos Chronologos, & alia Regni documenta ediderunt, vel edita ſuis animadverſionibus illuſtrarunt.

HI-

# HISTORIA CHRONOLOGICA

## Monaſterii S. Michaelis Archangeli Montis Caveoſi.

NOrtmannorum Gens inquies quondam, efſera, & ſceleſta, cum ex Dania in Gallias appuliſſet, mite ſenſim cum Chriſtiana Religione induit ingenium. Sub Italico deinde Cœlo cultiſſimos mores, inſignemque pietatem, ac juſtitiam edocta, regnandi artibus excelluit, & præclaris facinoribus editis haud interituram ſibi nominis famam conciliavit. Teſtes ſunt tot Civitates, & oppida, recèns in utriuſque Siciliæ Regno, vel condita, vel inſtaurata, Privatorum fortunæ legum præſidio munitæ, Templa, & Cœnobia opibus locupletiſſimè inſtructa, & immunitatibus ſplendide donata. Verùm inter præcipua loca divino cultui addicta, quæ Nortmannorum pietatem teſtentur, poſtremo loco accenſendum non erit S. Michaelis Archangeli Caveoſanum Monaſterium, quod hujus Gentis Primoribus debet omnia ferè, non ſolum, quæ modò poſſidet jura, libertates, latifundia, ſed etiam multò plura, quæ, vel temporum viciſſitudine, vel vi ſublata, in aliorum ditionem ceſſere.

Ut autem eximia hæc Nortmannorum, & aliorum, quicumque tandem illi fuerint, Beneficia gratæ Poſterorum memoriæ commendentur, & incrementa Cœnobii ex veteribus ſchedis eruta, ſuos ſingula per annos digerantur; operæ pretium erit Apuliæ Clades, quæ Monaſterii primordia, & veterem ſtatum, ac monumenta obruerunt, altiùs repetere, à ſæculo nempe quinto; in quo illud floruiſſe fama eſt; Nec non Dominationis Nortmannicæ initia percurrere, & Caveoſani Comitatus originem aperire.

rire. Noſtri namque Monaſterii Hiſtoria tunc tandem ab oblivionis tenebris emerſit, quando Nortmannorum virtus, Græcis profligatis, felicitatem in Apulia peperit, & pacem, Regnique leges invexit.

Apuliæ Clades.

Apuliæ regio finium amplitudine, Agrorum ubertate, ac Populorum frequentia celebris, Romani Nominis dilabente potentia, aſſiduis per plura ſæcula cladibus deformata fuit. Deturbatis (*a*) namque per Herulos ab Italia Occidentalis Imperii faſcibus anno 476., Gotiſque deindè, qui Herulos abegerant, à Narſete tandem attritis, in Græcorum ceſſit poteſtatem; quorum ſocordiâ Sclavi, adverſam Dalmatiam incolentes, perſpectâ, illam anno 649. populatum venere; Sed à Langobardis, qui Beneventi conſederant, ad internecionem uſque cæſi, iiſdem Apuliæ occupandæ deſiderium reliquerunt. Itaque Romualdus Dux Beneventanus, Tarento, Brunduſio, circumpoſitaque Regione in poteſtatem redacta, Græcos nobiliori Apuliæ parte mulctavit. Interim Sarraceni, qui eamdem Regionem non ſemel repentiniis fatigaverant excurſionibus, ab Adalgiſo, & Syconulpho de Principatu contendentibus, ex Africa, & ex Hiſpania acciti, cum ſtatim accurriſſent, ſoli felicitate allecti, in Apulia ſedem fixerunt. Verum quia prædonum more finitimos aſſiduis laceſſebant injuriis, Ludovicus ſecundus Imperator, Appulorum precibus permotus, accurrit, qui Seodanum, Sarracenorum Barenſium Principem, per totam Campaniam, & Samnium debaccantem compeſcens, anno 867. Luceriam cum finitimis locis recepit, Matheram (*b*) fortiſſimam Sarracenorum arcem ſuccendit, & Venuſiam, Canuſium, aliaque Caſtra munivit. Tandem poſt quatuor annorum obſidionem, Bario in poteſtatem redacto, ac funditus everſo, ita Sarracenorum vires concidit, ut eos in ſuam Africam transfretare coegerit, paucis Tarentum adhuc tenentibus; Donec Otho primus, cui magni nomen præclara facinora compararunt, injurias ab Imperatore Nicephoro illatas ulturus, Sarracenos ab italico ſolo radicitus evellere ſtatuit. Ea pro-

(*a*) Sigonius de Regno Italiæ. (*b*) Chron. Caſinen. l.pr. cap.36.

Digitized by Google

propter anno 969. in Apuliam, & Calabriam Othonem Filium miſit, qui Sarracenis Tarento, & Metaponto expulſis, & Græcis devictis, Apuliam iterum occidentali Imperio aſſeruit. Non tamen diù quieſcere licuit, Baſilius namque, & Conſtantinus Imperatores ægrè ferentes ab antiquo Apuliæ Dominatu excidiſſe, Sarracenis, quos paulò ante Cretâ expulerant, auxiliaribus adhibitis, Barium, & Matheram Urbes anno 979. expugnarunt, & paulò poſt integram Provinciæ poſſeſſionem adepti ſunt, fœdiſſimè ad Baſentellum fuſo Othone ſecundo, qui rebus jam afflictis venerat opitulatum: Tuncque à Græcis novus cum ampliori poteſtate in hiſce Regionibus erectus eſt Magiſtratus Catapani, à quo Catapanata (modo Capitanata) Provincia nomen accepit.

Verùm hoc Catapani Imperium, recens invectum, adeò Populis grave fuit, ut facilè Appulos ad defectionem adegerit. Et cum tunc temporis quidam Nortmanni (a) Garganum, S. Michaelis Archangeli memoriam veneraturi, appuliſſent, fortè quemdam virum nobilem, græco cultu ornatum, ac thiara inſignem conſpicati, quiſnam eſſet, rogarunt, cumque ille, ſe Melum Civem Barenſem eſſe dixiſſet, è Patria ob Græcorum perfidiam extorrem, quam facilè repetiturum, Græcoſque tota Apulia ſe ejecturum ſperabat, ſi Nortmannorum ſubſidium haberet; Nortmanni, Viri conſtantiam admirati, eum erecto animo eſſe juſſerunt, & brevi validam ſuorum manum adfuturam polliciti ſunt. Nec ſanè promiſſis fides defuit, ſed fortuna: Cum enim in Patriam reverſi, plures ſuæ Gentis in Græcos incitaſſent, Ii Peregrinorum cultu aſſumpto, Romam ventitantes, in Campania, Claſſicum canente Melo, qui eos ibidem præſtolabatur, convenere; & quidem ter cum Græcis proſperè conflixerunt anno 1018., ſed tandem in Cannenſi Pago, jam Romanorum Clade infami, cum iterum manus conſeruiſſent, Catapani inſidiis circumventi, turpiter trucidantur. At paulò poſt tantæ Cladis vindices adfuere nobiles Nortmanni à Ranulpho Averſæ

Nortmannorū Adventus in Italiam.

 Comi-

(a) Celeſinus in Chron., Guliel. Appulus l. pr.

Comite ad Apuliam invadendam deſtinati ; quibus Uvillelmus Ferrobrachius cum ſua Militum Turma è Sicilia regreſſus, commodè acceſſit . Hi ergo, cum Græcos primo ad Olivetum, ſecundo ad Aufidum, & demum ad Montem Piloſum acie proffigaſſent, totius ferè Apuliæ potiti, æqua ( *a* ) eam lance anno 1042. inter ſe partiti ſunt ; & Ranulpho Sipontum cum Gargano datum eſt, Uvillelmo Aſculum, & Mathera contigit, Drogoni Fratri Venuſia, Annolino Labellum, Ugoni Monopolis, Petro Tranum, Mons Piloſus Triſtano, Aſclitino Acheruntia., & aliis alia pro ſingulorum meritis tributa ſunt ; Melphium autem communis Nortmannorum ſtatio conſtitutum ; quare Græcis triumphatis, & Apulia in plures Toparchias diſſecta, ſinguli Comites ſupremo jure, & ( uti ajunt ) ( *b* ) in allodium ſuos tenue.e comitatus.



Porrò hiſce comitibus juremerito accenſendi ſunt Comites Caveoſani, quorum primus, quem ſciam, occurrit Robertus ille toto orbe clarus, cognomento Viſcardus, qui ſe Montis Caveoſi ſubſcripſit in celebri illa donatione, quam Drogo ( *c* ) Secundus Apuliæ Dux ante annum 1051., quo vivere deſiit, Venuſiæ pro Monaſterio S. Trinitatis ſignavit, in qua Fratres ſuos vocat Uvillelmum Ferrobrachium jam vita functum anno 1046., Umfredum, quem ſucceſſorem habuit in Apuliæ Ducatu, & præfatum Robertum ; non alium profectò à Viſcardo, cum ex Drogonis Fratribus nullus, præter Viſcardum, Robertus appellatus ſit. Deindè Caveoſi potitus eſt ( ſi ( *d* ) Peregrino antiquorum monumentorum diligentiſſimo Scrutatori fides ſit ) Gaufridus ſenior, qui Viſcardi ſororem duxit, dotiſque nomine fortaſſe Caveoſum obtinuit. Tertius Comes, vel ſi mavis ſecundus, fuit alter Robertus Viſcardi Nepos, qui ſe ( *e* ) Tricarienſem etiam Gubernatorem inſcripſit anno 1068. Robertum ſecundum antè annum 1078. excepit in Comitatu piiſſimus Umfredus, deindè Gaufridus

( *a* ) Protoſpatha anno 1042.
( *b* ) Freccia de ſubfeudis l.pr. C.14. num.10.
( *c* ) Ughell. T.7. in Venuſinis.
( *d* ) Tabula Geneal. Princ.Capuan fol.328.
( *e* ) Ughell. T.7. in Tricaricen.

jus Filius poſt annum 1093. ; quem in ſacra expeditione anno 1097. meliori vita donatum, Radulphus Machabæus Frater ſubſecutus eſt; & demùm poſt annum 1105. Emma ejus Uxor, & Rogerius Machabæus Filius. Hoc autem immatura morte ante annum 1124. erepto, Rogerius Siciliæ tunc, & Calabriæ Dux, Caveoſum poſſedit; quem deinceps idem Rogerius Gaufrido Pronepoti, aliique deindè Reges in Feudum aliis Toparchis conceſſere; quorum omnium memoriam in hac Chronologia, prout res poſtulaverit, excitare non pigebit.

Caveoſana autem Civitas in Lucaniæ Provincia poſita, ultimo ferè Appennini Montis Confinio, qua ad Sinum Tarentinum vergit, ſexto à Matherà Urbe milliario, à Tarento trigeſimo, à Bario autem trigeſimo ſexto, in edito Monte conſpicitur, non tamen undique abrupto, imiſque vallibus cincto, quippè qui ex meridionali plaga, quà Mare Jonium pauló pluſquàm duodecim paſſuum millibus diſſitum proſpectat, leviter, & ſenſim porrigitur, ità ut oram maritimam potius dixeris, quam montanam; alibi verò, licet acclivior ſit, curru tamen non ægrè adiri poteſt; & licet Mons Calloſus, Petroſus, aut Scabioſus aliquoties dicatur, Caveoſus tamen modò audit ex frequentibus Cavels, quæ Montem pænè totum eviſcerant. Anteqùàm verò Mons Caveoſus Nortmannorum jura ſubiret, Civitas erat munitiſſima, & à Sarracenis, quorum jugum tota pænè Apulia, & Sicilia paſſa erat, fruſtrà anno 1003. (*a*) tentata; ipſique Civitas veteris Montis adjacebat, quam etiam nunc in ſuis Tabulis aliqui (*b*) collocant, ex veterum Geographorum teſtimonio & ex invictis hujus Archivi documentis. In diplomate namque Stephani Epiſcopi (*c*) Umfredus Civitatis Veteris Montis Comes dicitur anno 1065., quia tunc Montis Caveoſi Comes, non ipſe, ſed Robertus ſecundus erat; huic autem poſt annum 1068. ſuffectus Umfredus, perpetuò in Privilegiis ſe Comitem Montis Scabioſi appellat; Monaſterium verò ſitum dicit *in Civitate* (*d*) *veteris Montis Scabio-*

Caveoſi deſcriptio

(*a*) Protoſpatha.
(*b*) Maginus, & alii.
(*c*) Regeſtum 1065.
(*d*) Regeſtum 1078., & 1093.

*Scabioſi*, *vel in Civitate Veteri*, (*a*) vel demum, quod magis diſcrimen inter utramque Civitatem adſtruit, (*b*) *in Civitate Veteri prædicti Montis Caveoſi*. Quare Civitatem veterem fuiſſe dicamus oportet, ubi modò Monaſterium extat, Platea, nobiliorque hodierni Caveoſi portio, & ad Montem uſque perveniſſe, qui Iſchæ Arenæ imminens, adhùc *Monte Vetere*, vulgò dicitur; Caveolum verò, illam Montis partem occupaſſe, quam modo Patres Capuccini incolunt, & Valles ſubjectas, ut antiqua rudera, quæ non ſemel inibi effodiuntur, oſtendunt.

Civitatis Severianæ Nomenclatura.

Radulphus deindè Machabæus, Umfredi Comitis Filius, cum Caſtellum excitaſſet ſupra Eccleſiam S. Nicolai, & Turrim (*c*) Severianam, cujus adhuc magna pars ſupereſt, undequaque tamen fatiſcens, pone Eccleſiam S. Simeonis Civitatem Veterem, Montemque Caveoſum, prolatis pomeriis in unam redegit Civitatem; quo factum eſt, ut S. Michaelis Cænobium non ampliùs in Civitate Veteri, ſed ſemper deinceps in Civitate Montis Caveoſi conſtructum, ſitumque in diplomatibus dicatur. Quin etiam paulò poſt, novis adjectis ædificiis, & Severiana Turri ad culmen redacta, Mons Caveoſus, mutato nomine, Civitas Severiana dicta eſt, quod Romualdus Salernitanus in ſuo (*d*) Brevi Chronico ad annum 1101. hiſce verbis innuit: *Hoc anno à Mul* (lege Raul) *Machabæo Mons Caveoſus mutatur*; & concinunt Radulphi diplomata prò Monaſterio noſtro conſcripta anno 1099., & aliud prò monaſterio Piſticienſi anno ſequenti, in quibus Radulphus ſe M. Caveoſi Comitem, & ſeniorem dicit, cum poſteà anno 1101. (non verò 1099. ut perperam (*e*) legit Ughellius, quod infrà oſtendam) in altero Præcepto eidem Monaſterio Piſticienſi conceſſo, Civitatis Severianæ ſeniorem ſe nominet Radulphus. Hinc à veritate longè aberrant (*f*), qui Severianæ Civitatis Etymon à Severo Imperatore deducunt; cum ad annum uſque 1101. altum de ea ſilentium fuerit, tùm in publicis, tum in domeſticis

(*a*) Ibidem 1085.
(*b*) Ibidem 1083.
(*c*) Ibidem 1099. M. Septembr.
(*d*) Tom.7 Rerum Italic. fol.178.
(*e*) Tom.7. in Acherunt.
(*f*) Nuceus l. 4. c.11. Chron.Caſin.

Digitized by Google

ſicis documentis . Idem ergo fuit Mons Caveoſus à Radulpho ampliori ambitu donatus , & Civitas Severiana , in qua Monaſterium S. Michaelis ſitum aſſeruit Rogerius anno 1146., & ante ipſum Emma , quæ (a) perpetuò ſe Civitatis Severianæ Comitiſſam in ſuis diplomatibus vocat ; eamdemque Civitatem Severianam à ſe , ſuoque Marito conſtructam fuiſſe , non immeritò gloriatur , ſi ad ædificiorum incrementa , & ad novam Urbi faciem invectam , ejus verba trahamus . Et quamvis Rogerius Siciliæ Rex , Caveoſi ante annum 1124. potius , antiqua retenta , hanc recentem Civitatis Severianæ nomenclaturam abjecerit ; adhùc tamen Radulphum , & Emmam Civitatis Severianæ Dominos appellavit anno 1133. in præcepto pro Monaſterio Piſticii expedito , quod & (b) Fridericus ſecundus Imperator præſtitit ; & diſertè Federicus (c) Aragonius Montem Caveoſum , olim Civitatem Severianam fuiſſe adſtruit .

Verùm quamvis Mons Caveoſus temporum injuria plurimum antiqui ſplendoris amiſerit , & multò quondam illuſtrior fuerit , quam modò ſit , ſivè Civitatis amplitudinem ſpectes , ſivè Pagorum in ſuo diſtrictu copiam , ſive Toparcharum potentiam , ſive demum Civium numerum , & nobilitatem ; adhuc tamen inter finitima oppida præcipuum locum obtinet ; nàm Marchionatus titulo inſignitus , quatuor ferè millia hominum alit . Aere utitur aperto , & ſalubri , paululum tamen ob ventorum frequentiam inconſtanti ; & jucundum , gratumque aſpectum habet Montium , Vallium , Maris , ac circumquaque adjacentium pagorum , & *Civitatum* . Agro potitur valdè protenſo , eòque feraciſſimo tritici , vini , leguminum , goſſipii , lini , & etiam olei , ac cujuslibet generis fructuum , tum ad commodum , tum etiam ad oblectamentum ; ad quam ſoli ubertatem deſignandam jure Caveoſani pro inſignibus tres ſpicas triticeas , à Metapontinis (d) eamdem ob cauſam in ſuis numiſmatibus antiquis expreſſas , mutuarunt . Planities graminum dulcedine celebrata , lenibus diſtinguitur

Præſens Caveoſi Status.

(a) Regr. an. 1110. 1115., & 1119.
(b) Ibidem an. 1222.
(c) Ibidem an. 1488.
(d) Golzius in magna Græcia.

Digitized by Google

tur collibus, oleaſtro conveſtitis, lentiſco, geniſta, roremarino, tymo, origano, aliiſque herbis odoriferis, plantiſque, & arbuſculis ſponte naſcentibus; ſunt etiam ibi frequentes ſylvæ quercubus, Ilicibus, Ulmis, aliiſque proceris arboribus opacæ; itaut Caveoſani Campi non ſolum uberrimis ad quævis pecora alenda paſcuis abundent; quin etiam ſylveſtres belvas alant, Apros nempè, Cervos, Capreas, Aves itidem, & id genus alia, ad jucundam venationem, aucupiumque exercendum opportuna. Ager finditur Bradano flumine, quod ab Appenninis Montibus oritur, & quamvis hyeme nonnumquam redundet, æſtate tamen pænè exhauritur, & ob ſinuum anguſtias navigia, tenueſve lintres haud patitur. Cives honeſti ſunt, induſtrii, & ad ſcientias, arteſve addiſcendas præſtanti ingenio comparati. Mulieres lanificio potiſſimum inſudant, & humiliores à Colonicis operibus non abhorrent, imò viris ipſis in hiſce laboribus propemodum præſtant. Præter Eccleſiam Parochialem Sancto Petro ſacram, duo extant Fratrum Regularium Conventus, alter Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Patrum Capuccinorum alter, & ſacrum Parthenon immaculatæ Virgini dicatum Ordinis S. Benedicti.

Monaſterii primordia, & Inſtitutum. Sed quod Caveoſanæ Civitati (Civitatem etiam modò dicunt ob antiquam ejus præſtantiam) potiſſimum apud exteros famam conciliat, eſt celebre Monaſterium S. Michaeli ſacrum ibidem extructum, de cujus origine nihil explorati, ob recenſitas Apuliæ clades, in veteribus Tabulis occurrit, præter antiquitatem; quam luculento adſtruit teſtimonio Umfredus Caveoſanus Comes, ab uſque anno 1083 illud *antiquum, & regulare Cænobium* appellans. Priſcis verò temporibus Regulam S. Baſilii in hoc Monaſterio viguiſſe fama eſt, ſola Patrum traditione ad hæc uſque tempora deducta, quæ vel indè fidem ſibi conciliat, quia Baſilianus ordo, ſæculo quinto, & ſexto in Apulia Græcis imperantibus, ſummoperè fuit propagatus; hinc Sanctorius (a): *Eam Italiæ partem* (inquit), *quam*

(a) Hiſtor. Carbonen. Mon.

*quam magnæ Græciæ vocabulo inſignivit antiquitas , Fe-
tiſſimi Patris Baſilii inſtituta præcipuè illuſtravere* . Ajunt verò , S. Placidum anno 534. , Meſſanam proficiſcentem , Caveoſum in itinere poſitum attigiſſe , tuncque Caveoſanos Monachos tanti Hoſpitis præſentia dignatos , & nedum ejus ſanctitate allectos , verum etiam fama Miraculorum , quæ paucis ante diebus Canuſii , Urbe haud multum diſſita , patraverat , permotos , ab eodem Regulam S. Patriarchæ Benedicti accepiſſe , Baſiliano Inſtituto abdicato , familiari quidem illius temporis exemplo , quando Monachi turmatim per totam Italiam priſcam vivendi conſuetudinem cum nupera à S. Benedicto præſcripta permutabant . Quin etiam in Galliis ſacrum Lerinenſe Cænobium ſeptennio poſt, nempè anno 541. , S. Mauro illàc tranſeunte , Benedictinam Regulam accepit , ea dimiſſa , quam S. Honoratus ejus Abbas , ac fundator jam pridem ſervandam ſanciverat , uti narrat Wion in Martyrologio ſub 29. Maii .

Ut ut verò ea res proceſſerit , id quidem prò comperto habetur , ordinem S. Benedicti multò ante annum 1231. Caveoſi floruiſſe , uti Gregorius (*a*) Nonus in ſuo Diplomate disertè narrat . Semel autem invecta , quandocumque tandem id acciderit , hac Regula , numquam deinceps ejus cuſtodiendæ zelus refriguit , ſi breve tempus excipias, quo Monaſterium Abbatibus ſæcularibus traditum fuit ; tunc enim regularis vitæ obſervantia radicitus ſublata , inſignis , ac nobilis Cænobii facies mutata eſt ; uſque dum Patres Congregationis S. Juſtinæ de Padua , quibus anno 1484. eximio Pyrrhi Baucii beneficio traditum fuit , illud veluti poſtliminio donatum , ad antiquam ſanctitatis gloriam , & ad priſtinam vivendi conſuetudinem revocarunt . **Ordinis S. Benedicti.**

Sed quia ſacrorum neglectus , uti ſemper evenire ſolet, ædificiorum etiam ruinam attulerat , coacti ſunt Patres Congregationis Monaſterium ex integro ædificare ; quod modò ſua amplitudine , & ſtructuræ elegantia principem locum obtinet inter cæteras Regularium Domos , quæ in tota Lucania habentur ; Eccleſiamque paris magnificentiæ adjecere à fundamentis extructam S. Michaeli Archangelo **Titulus Eccleſiæ.**

B nuncu-

(*a*) In Bullar. Caſin. p.2.Conſt.250.

Digitized by Google

nuncupatam ; cui vetus Eccleſia antea dicata erat ; incertùm nùm à prima Monaſterii erectione, an verò ſequenti tempore ( ante annum certè 1065 ) à Benedictinis tàm illuſtris Patroni titulum habuerit. Familiare ſiquidem fuit illis, qui S. Benedicto nomen dedere, ſua Cænobia Angelorum Principi commendare, uſu ab ipſo Patriarcha repetito, qui eumdem Archangelum ſumma veneratione proſequebatur, adeòut ex duodecim Monaſteriis ( a ) in Sublacenſi ſeceſſu conſtructis, non contentus, unum S. Michaeli, alterum S. Archangelo dicaſſe, duo alia S. Angelo, quibus nominibus per excellentiam, & antonomaſticòs Angelorum Princeps deſignatur, ſacrare voluerit: Quin etiam S. Mauro, qui & ipſe S. Michaeli Oratorium deindè nuncupavit, Caſino Gallias verſus digreſſo, inter alias ſacras Reliquias ( teſte Fauſto ) fruſtulum pallii rubri, quod ab Archangelo in Garganicæ Cryptæ Altari olim repoſitum fuiſſe fertur, tranſmiſit; ſimulque præclarum poſteris documentum reliquit, quò tàm præcellentis Tutelaris patrocinium omni ſtudio ſibi demerendum curarent; quod ſanè huic Monaſterio fauſtiſſimum contigit; tanti enim Patroni ope, inter fædas ſacrarum Ædium pænè quotidianas vaſtationes, quas Sclavi, Sarraceni, aliique ſupra recenſiti per totam Apuliam intulerant, in ea demùm tempora incolume evaſit, quando è Nortmannica Gente Caveoſani Dynaſtæ, aliorum ſui generis Principum pietatem æmulati, in hoc maximè, & opibus, & Officiis incubuerunt, ut in eo priſca regularis vitæ Sanctitas reſtauraretur, divinuſque cultus adauctus perennaret.

1065 Donatio Eccleſiæ S. Mariæ facta Stephano Abbati.

Et ſanè percommodum accidit, ut tùnc temporis poſt ſæculi undecimi dimidium, Caveoſano Cænobio præſideret Stephanus Venerabilis Abbas, cujus quamvis nudum nomen Tabulæ referant, ſpectatæ tamen Sanctitatis, & antiquæ Religionis Virum eum fuiſſe oportuit, qui Gualterii Viſcomitis, & Umfredi Civitatis Veteris Montis, deindè Caveoſi Comitis, munificentiam in ſe, ſuumque Monaſterium provocaverit: Hi enim cum antè annum 1065. parochialem Eccleſiam prælaudati veteris Montis

( a ) Wion. in Prolog. ligni vitæ.

tis non longè à Monaſterio poſitam ; Deiparæque Virgini dicatam à fundamentis erexiſſent , Stephani , Monachorumque ſtudio regendam commiſere , eorumque perpetuo addixerunt dominio ; & hæc illa eadem eſt , quæ pluries refecta etiam nùm extat , animarum cura licèt deſtituta , *S. Maria Gratiarum* , ſeu de *Platea* nuncupata. Verùm non ignorantes Gualterius , & Umfredus huic Donationi plurimum dignitatis , ac roboris adjectum iri , ſi Diœceſani Epiſcopi favorabilis calculus accederet , Matheranum Præſulem adierunt , ut oblatum munus ſuo Diplomate confirmaret.

Matheræ tùnc Epiſcopus erat Stephanus Tertius : Græcus ( ut reor ) origine , alter à Stephano ſecundo Matherienſi Epiſcopo , *quo Præſule anno* 1024. *die quinta Paſchatis* ( ut narrat Protoſpata ) *in Epiſcopio Acheruntino crucifixus argenteus ter concuſſus eſt , capite , brachiis , & pedibus* ; nec enim crediderim Stephanum ſecundum ab anno 1024. ad annum uſque 1065. vitam protraxiſſe , quando noſter Stephanus Gualterii , Umfredique vota æquis auribus excipiens , quod ipſi dederant Monaſterio , confirmavit. Et ne quid videretur Epiſcopus minus contuliſſe , eorum munus nova gratiarum acceſſione cumulavit ; præfatam enim Deiparæ Eccleſiam ab omni onere , cenſu , & à Præſulum ſubjectione perpetuò immunem juſſit ; clericoſque ejus ſervitio addictos ità Abbatis juriſdictioni ſubdidit , ut eos ab Epiſcopis in jus vocari , aut cenſuris irretiri poſſe vetuerit , ſed ſynodali ſolùm judicio ſubeſſe decrevit. Indulſit præterea Abbati Stephano , ejuſque ſucceſſoribus , in eadem Eccleſia *cujuslibet Ordinis Eccleſiaſtici exercitium , Parochiam nempè habendi , ſepeliendi mortuos , fontem , & Cereum in Paſchate benedicendi , & pœnitentias publicas irrogandi* ; adhùc enim tunc vigebat antiqua Eccleſiæ Diſciplina , crimino ſos publicis pœnitentiis multare , cujus uſus paucis poſt annis cæpit ſenſim minui , & obſoleſcere.

Quā Stephanus Epiſcopus confirmat.

Ut verò hoc privilegium , quo Caveoſanus Abbas integram adeptus eſt ſpiritualem juriſdictionem , & pænè Epiſcopalem in dicta *Civitatis Veteranæ* Paræcia , robur habe-

Cum conſenſu Capituli.

ret , & canonica ſolemnitate , quam uſurpata tùnc temporis Diſciplina poſtulabat , muniretur , ſuorum Clericorum conſenſum adhibuit Epiſcopus ; quorum præcipui in Diplomate ad hujus largitionis perennitatem exarato menſe Januarii anni prædicti 1065. , quod omnium ex iis , quæ modò in Tabulario ſuperſunt , antiquiſſimum eſt , ſubſcripſere , poſt Epiſcopum Stephanum , Folius Archipresbyter , Mel Sacerdos , & Paramenarius ( Manſionarius videlicet , ſeù cuſtos ) , Benedictus Archidiaconus , & Joannes Cantor Matherienſis Eccleſiæ , & antè hos duos ſubſcripſerat Ruſſus Imperialis Mais , qui idem eſſe creditur , ac Rooſus Notarius , qui in calce Diplomatis poſt Epiſcopum Stephanum græcè ſubſcribentem Diploma ſignaverat .

Hoc Diplomate Stephanus , non modò juri cedit Donationem iſtam umquam revocandi , verùm etiam ſe , omneſque in Matherienſi Cathedra conſeſſuros , ſi aliquando

Et pœnæ comminatione.

illi derogatum irent , obnoxios ſtatuit ad ſolvendos ſolidos quinquaginta , & totidem in Dominico ; ut nempè ( juxta illius ſæculi Dialectum ( a ) ) quinquaginta aureos Monaſterio pendant , & alios quinquaginta inferant Fiſco: Tantùm tùnc erat in Monachorum regulare Inſtitutum Sacrorum Antiſtitum ſtudium , ac pietas !

Ferdinandus Ughellius in Italiæ Sacræ Tomo ſeptimo hujus meminit Diplomatis ; illud tamen , ut ſuſpectæ fidei , ac ſuppoſitium ſecundo quoque verbo traducit , eo

Diplomatis fides adſtruitur.

enim Acheruntinorum cauſam , quorum patrocinium aſſumpſerat , pænè confici , ac elidi præſenſit , apprimè verò jus adſtrui Matheranorum , qui proprios Epiſcopos Matheræ ſediſſe , peculiaremque Diœceſim ab illa Acheruntinorum Præſulum diſcretam habuiſſe , pluribus contendunt . Egregiè tamen Diplomati Fidem conciliat Tabularium ab omni fraude alienum ; cætera ſiquidem Privilegia ibi cuſtodita , acri cenſuræ non ſemel Neapoli ſubjecta , quo illa tranſvehere

Ex Archivi integritate.

oportuit , & præcipuè anno 1682. , illorum corruptionem , aut ſuppoſitionem Regio Fiſco acriter urgente , integræ fidei , & optimæ notæ , tùm in S. R. Conſilio , tùm in Regia Aula , tùm demùm in Sacro Collaterali Con-

( a ) Chron. Caſin. lib.4. cap.11.

Digitized by Google

Conſiſtorio omnium Senatorum conſenſu judicata ſunt ; & Monaſterium horum Diplomatum ſuffragio cauſas evicit , æternùmque tutabitur . Quin etiam Ughellius ipſe ( ut Frecciam , Peregrinium , Lubinum , alioſque miſſos faciam , qui ex hoc Archivo documenta mutuarunt ) ſuos (*a*) Epiſcoporum indiculos pluries ex Chartis Monaſterii ſupplet.

Porrò , ſi Monachorum integritatem in falſi ſuſpicionem trahere fas eſſet , Privilegia illa vitiata forent , quibus Cœnobii fortunas ſartas tectas ipſi tuentur ; non verò Diploma conceſſionis Eccleſiæ ad hanc uſque diem pacificè poſſeſſæ abſque ullo proventu ; ab immemorabili ſiquidem tempore Eccleſia hæc parochiali jure deſtituta , Clericorum Collegium amiſit , nec redditus habet peculiares . Quin etiam Diplomatis integritatem adſtruit dictionis barbaries illi ſæculo familiaris , & voces quædam græcanicæ ob Græcorum non adhuc interciſam Dominationem uſurpari ſolitæ, quæ ſæculis ſequioribus callido impoſtori haud facilè occurriſſent . Ex dictionis barbarie.

Nec quicquam officit , quod Ughellius ad Acheruntinorum cauſam promovendam prò certo jactitat , videlicet tunc temporis Montem Caveoſum Acheruntinæ Diæceſeos finibus incluſum ; quidni enim poterat Epiſcopus Matheranus in aliquas alienæ Diæceſis Eccleſias jus habere , exemplis ſatis obviis , quorum plura ex eodem Ughellio , ſi otium eſſet , poſſent recenſeri ? Ex Matheranæ Diæceſeos antiquitate.

Verùm nullatenùs ea tempeſtate Caveoſus ad Acheruntinam Diæceſim ſpectabat ; nam anno 1078. idem Comes Umfredus Monaſterio largitus Caſale de Cornu , aſſeruit donationem illam ſe feciſſe *S. Michaeli de Civitate Veteris Montis Scabioſi , annuente Epiſcopo Benedicto de Civitate M. , in cujus Diœceſi conſtat* ; cum autem Acheruntiæ ſederit , ut ipſemet oſtendit Ughellius , ab anno 1068. ultra annum 1100. Arnaldus , conſequitur Montem Caveoſum , vel ( ſi mavis ) Caſale de Cornu , aut Appium , quæ ſunt Piſticcio contermina ( Diploma enim de horum ſingulis explicari poteſt ) non fuiſſe tunc ſub Diæceſi Acheruntina , ſed in illa , cujus tunc Præſulatum gere-

(*a*) Ducange in Gloſſar.

gerebat Benedictus, & quamvis Diploma Matheram non exprimat, id tamen ex Sigla, ſeù nota M. adjecta, quæ Matheræ initialem deſcribit, facilè deducitur, eo pacto quo ibidem initialis littera R. Robertum Tricarici Epiſcopum indicat, qui idem Diploma ſignavit.

Et hinc obiter advertere licet, Ughellium in Tricaricenſium Præſulum Syllabo Robertum prætermiſiſſe, quem ex hoc ipſo Privilegio depromere potuiſſet, niſi veritus eſſet, cauſam ſuorum Acheruntinorum prodere, hoc Umfredi documentum approbando, ex quo diſertè Montem Caveoſum, vel Caſale de Cornu', aut Appium non fuiſſe Acheruntinæ Diæceſis evincitur, ſed potiùs antiquæ Diæceſis Matheranæ, quam poſt aliquot ſæcula Eugenius quartus, & deindè S. Rotæ Conſiſtorium (*a*), acri concertatione præmiſſa, ſuo comprobavit oraculo. Quod ſi in obſcuris, & antiquis conjecturæ indulgendum ſit, dicere auſim, hunc Epiſcopum Benedictum, eumdem illum fuiſſe, qui uti Matheranus Archidiaconus, Stephani Præſulis Donationi ſubſcripſerat, Stephanique demortui Cathedram deindè conſcenderit, ſervata illius ævi conſuetudine, quando Archidiaconus ſæpiſſimè Eccleſiæ viduatæ Paſtor ſubrogabatur.

Ex antiquis Epiſcopis Matheranis.

Quare falſus omninò eſt Ughellius aſſerens Matheranam Cathedram ab Innocentio Tertio primùm fuiſſe inſtitutam; cum anno 968. jam Mathera ſuos Epiſcopos haberet, non ſecùs, ac Acheruntia, Turſium, Gravina, & Tricaricum, cujus rei teſtis omni exceptione major extat Luitprandus (*b*) Ticinenſis, Author coævus his verbis: *Scripſit itàque Polyeuctus Conſtantinopolitanus Patriarcha privilegium hydruntino Epiſcopo, quatenus ſua authoritate habeat licentiam Epiſcopos conſecrandi in Acirendula, Turcico, Matheria, Gravina, Tricario, qui ad conſecrationem Domini Apoſtolici pertinere videntur.* Ex quo doctiſſimus Cantelius (*c*) jure aſſeruit, Græcis in Apulia regnantibus, Matheram ſuos Epiſcopos habuiſſe.

Qui recenſentur.

Et quidem tùnc temporis vivebat Joannes ex Monacho Bene-

(*a*) Tom.7.Ital.Sacræ.
(*b*) Decis.797. partis 4.diverſorum an.1507. non 1554. ut habet impreſſum.

Benedictino Monaſterii S. Euſtachii, ( ut vetuſtus Lapis in illa Eccleſia, Patrum noſtrorum ætate aſſervatus, referebat ) Epiſcopus Matheranus, qui Romanæ Synodo ſubſcripſit anno 964., & ( *a* ) anno 998. hoc modo : *Joannes Epiſcopus Maturanenſis*. Nec faceſſit negotium ( *b* ) Baronius in margine apponens, *alias Mantuanenſis*, nam ab anno 945. ad annum uſque 995. Petrus ( *c* ) non autem Joannes Epiſcopus Mantuanam Sedem tenuit. Anno item 1024. Stephanus ( *d* ) Secundus Matherienſem Cathedram occupabat, qui propterea alium ſibi cognominem præſediſſe oſtendit; perperam ergo Ughellius obtrudit perpetuum de Matheranis Præſulibus ſilentium, non ſolùm enim Matheranos Epiſcopos habemus Joannem, duos, vel tres Stephanos, & Benedictum, ſed ſæculo decimo quoque exploratum eſt, Matherani Præſulis conſecrationem ad Romanum Pontificem ſpectaſſe. Deinde quot quæſo Cathedræ ſunt Epiſcopales, quorum Dyptica jejuna ſunt, & manca? Nec mirum ſit, Matheram, ampla licèt ſemper fuerit Civitas, domeſticis documentis deſtitui, cum ſæpè ferro, & igni vaſtata fuerit, & à Sarracenis, quibus Arx fuit munitiſſima, non ſemel ſub jugum miſſa.

Unitur Cathedra Matherana Acheruntinæ,

Mortuo tandem poſt annum 1078. Epiſcopo Benedicto, paulò poſt Arnaldus Acheruntinus Archiepiſcopus Matheranæ Eccleſię adminiſter à Gregorio Septimo, cui inprimis charus erat, pronunciatur, quod nedum ex perpetua majorum traditione didicimus, verùm etiam pluribus comprobare argumentis licet, nàm poſt annum 1078. nullus Matherienſis Præſul ampliùs occurrit, qui ſimul non fuerit Archiepiſcopus Acheruntiæ. Anno 1080. Arnaldus Eccleſiam ( *e* ) Monaſterii S. Euſtachii recens ab Abbate Stephano Matheræ extractum ſacravit: Et paulò poſt Petrus Arnaldi ſucceſſor, vel ſi mavis ipſemet Arnaldus, omnia Monaſterii Bona ſuo Diplomate confirmans, Eccleſiam à Stephano Epiſcopo donatam primo loco recenſet; præterea Paſchalis Secundus Cathedrales Acheruntino ſuffraganeas enumerans anno 1106., Matheranam præteriit, quia ab.

( *a* ) Apud Baron. an. 268. num. 60. 
Edit. Pariſien.
( *b* ) De Eccleſ. Metropolit.
( *c* ) Labe Tom. 9. fol. 634., & 773.
( *d* ) Ad annum 964.
( *e* ) Ughell. in Mantuanis.

ab eodem Metropolitano adminiſtrabatur . Demùm Innocentius Tertius perpetuam earumdem Eccleſiarum unionem ad Acheruntinæ Sedis inopiam ſublevandam anno 1203. inſtituens : *Cathedralem* ( inquit ) *Eccleſiam apud Matheram* ( en quod Cathedralis erat ante unionem ) *ſic duximus ſtatuendam , ut illa priori Cathedræ uniatur* . Hinc liquet , Ughellium immeritò noſtri Diplomatis ſuppoſitionem urgere , ex eo quod Matheranum Præſulem habeat Authorem .

Diplomatis duo vitia deteguntur. Miror tamen ab erudito Viro turpem Anachroniſmum non fuiſſe deprehenſum , quo ſpecie tenus Diploma laborat, quia ſcriptum dicitur anno 1065. Inditione tertia , anno ſecundo Iſacii Imperatoris , qui tamen ab anno 1059. , vel ut aliis placet , anno 1060. Imperium ceſſerat Conſtantinò Cognomento Duca . Poterat etiam vir alioqui acutus & perſpicax Imperatoris Græci nuncupationem ſuſpectam habere , quando Græcis Apuliâ ferè totâ expulſis , Caveoſi Comes tunc erat Robertus Secundus , Veteris Montis Umfredus , & ( a ) Matheræ ab anno præcedenti 1064. alter Robertus , omnes Nortmanni , & Græci nominis Hoſtes : Et hæc quidem primus objeci , ne ſciens , & volens fucum veritati facere , vel dubia , aut etiam falſa prò certis venditare videar .

Anachroniſmus expenditur. Hæc tamen non ea ſunt , quæ Diplomatis ſinceritati officiant , vel ejus fidem elvevent ; nàm poſſet quis ſupinam Notarii , & Epiſcopi ignorantiam cauſari in dictione Diplomatis , quo nihil inſulſius adornari potuit ; & eò magis erroris hujus chronologici venia danda illis eſt , quod res in Apulia agebatur , ubi ejectis ferè omnibus Græcis , difficilè reſcire poterant , quæ Conſtantinopoli contigerant . Undè quia forſan ignorabant , quinam tunc ibi imperitaret , annum 1065. ſub anno ſecundo Iſacii ſignaverunt , quem certum omninò habebant .

Poterit etiam haud immeritò quis ſuſpicari , Iſacium in Diplomate indicatum , non fuiſſe Comnenum C. P. Imperatorem , ſed aliquem Ducem , Catapanum , aut Præfectum

( a ) Protoſpatha .

ctum à Conſtantino Duca Imperatore miſſum in Italiam ad Græcorum potentiam pænè attritam reparandam, & hunc Præfectum ab indocto Notario vocatum fuiſſe Imperatorem ob latinæ vocis inſcitiam, vel ob illius temporis conſuetudinem, nam etiam Anonymus (*a*) Barenſis ſub anno 1042. dixit, Maniacem ſe feciſſe Imperatorem in Italia, nempè Ducem in Apulia.

Utcumque tamen hæc vero ſint ſimilia, crediderim membranam, quæ modò extat, tranſumtam fuiſſe, & exemplatam antiquiùs ab Autographo Langobardo, quod ad annum uſque 1410. in Archivo aſſeruabatur, quando Antonius Abbas aliud tranſumtum exemplare indè fecit (*b*) per manus Notarii Ruſſi, qui in ſuo Inſtrumento hæc habet: *Exhibuit Antonius Abbas nobis Iſtrumentum unum publicum Stephani, literis Longobardorum, petens cum inſtantia in literis latinis componi, transformari, & reduci, nihil in eo addito, vel mutato*; ſtatimque Diploma adjecit nihil fere diſcrepans à noſtra membrana latino charactere ſcripta, quam aliqui Prototypon exiſtimant, præterquam in Epocha: In hoc enim exemplo Ruſſus prò anno 1065. menſe Januarii indictione tertia annum repoſuit 1076. menſem Julii, & indictionem 14., quare utrumque Tranſumptum falſum deprehenditur in Epocha conſignanda, quo vitio non raro hujuſmodi chartas laborare Mabillonius, aliique Critici admonent. Porrò non ſemel documentum genuinum eſt etiamſi ab excriptore nota Chronologica perperam adjiciatur, ut eruditè proſequitur laudatus Mabillonius Inſtrumentum afferens deſcriptionis Bonorum Parthenonis B. *Mariæ* Sueſſionenſis, quod licet authenticum ſit, ſcriptum tamen aſſeritur anno Chriſti 858. Indictione ſeſta, Regni Caroli Imperatoris 32., qui annus 32. Caroli Calvi Regis, & non Caroli Imperatoris, congruit cum anno Chriſti 862., non autem cum anno 858. Quin ipſe Mabillonius acerrimus antiquorum Diplomatum ſcrutator non veritus eſt, hoc noſtrum Privilegium, ejus Cenſuræ à me fideliter permiſſum, ſuo calculo approbare, hujus

C enim

(*a*) Apud Peregrinium (*b*) Regeſt. an. 1410.

enim chartæ dumtaxat teſtimonio uſus Stephanum noſtrum Eccleſiæ Matherienſis Epiſcopum recenſuit , Ughellio incaſſum renitente , quod etiam Sac. Rota Acheruntinis reclamantibus non ſemel laudavit .

Quapropter ſatis probabile eſt, in exemplato annum 1065. pro anno 1060. , & Indictionem tertiam pro tertia decima irrepſiſſe . Quamvis enim Iſacius anno 1057. menſe Septembri Auguſtale ſolium conſcenderit , & anno 1059. menſe Decembri indè ſpontè deceſſerit , attamen quia Græcorum conſuetudine , ( quam Stephani Notarium ſecutum fuiſſe reor ) annus , & Indictio initium ſumebant à kalendis Septembris , ideò Iſacius à Cadrèno , à Protoſpatha , & ab Anonymo Barenſi dicitur anno 1058. Indictione undecima kal. Septembris factus Imperator , & anno 1060. jàm inchoato à menſe Septembri , Imperium depoſuiſſe , ut obſervat Peregrinius ad annum 1058. , & 1060. , & alibi ſæpe in notis ad Anonymum Barenſem ; itàut hoc Diploma ſcriptum ſit oporteat menſe Januarii anni communis 1059. Indictione duodecima ; quando annus ſecundus Iſacii decurrebat , qui tamen Græcorum more annus erat 1060. , & Indictio tertia decima , nàm annus communis menſe Decembri definens , ceſſabat Græcorum ritu menſe Septembri , ob idque Conſtantinus Ducas regnaſſe dicitur à Decembri anni 1059. communi , vel anno 1060. inchoato .

Demùm adjicere quis poterit , Privilegium iſtud exaratum quidem primò Matheræ à Stephano cum conſenſu ſuorum Clericorum anno 1059. , vel inſequenti 1060. , qui ſecundus erat Iſacii Comneni Imperatoris , publicatum deindè fuiſſe Caveoſi anno 1065. , & in hoc ſecundo Archetypo adjectam epocham , & Indictionem anno 1065. congruentem , retentum verò fuiſſe annum ſecundum Iſacii , ut ſimul indicaretur tempus primæ conſcriptionis , & etiam publicationis Diplomatis : quod non ſemel factitatum antiquitus fuiſſe , luculenter oſtendit pluribus in medium allatis hujuſmodi documentis noſter Petrus Aloyſius à Turre Genuenſis in præfatione italica ad vitam S. Columbani Abbatis Bobienſis .

Levior eſt alter ſcrupulus ex Græci Imperatoris nomen-

Digitized by Google

menclatura deſumtus ; quia potuit Stephanus & ipſe origine Græcus antiquum ſuæ Eccleſiæ morem retinere, ex quo nihil incommodi in Nortmannos rerum Dominos derivabatur. Quinimmò vel ipſi Nortmanni Proceres, cum S. Baſilii Cænobiis, ubi Græcus Ritus vigebat, dona largiebantur, Græco idiomate privilegia exarabant, Epochamque ſeptuaginta à Græcis tunc uſurpatam adjiciebant, Dionyſiana, qua in aliis latini idiomatis chartis conſcribendis utebantur, neglecta ; cujuſmodi plura extant apud Ughellium, Pyrrhum, Sanctorium, & alios, in quibus annus à mundi creatione ; non autem à Chriſti Incarnatione ducitur. Imperatoris Græci epocha non officit.

Et hùc ſanè referendum eſt, quod Fontaninius in Vindiciis antiquorum Diplomatum *l. 2. cap. ult.* §. 8. loquens de notis chronologicis, in antiquis Diplomatibus perperam appoſitis, monet: *In plerisque ad barbari ævi Chronologiam pertinentibus notis non innoteſcunt veteres conſuetudines, & ſtili vulgares, atque forenſes in annorum ſerie ſubducenda*, & allatis duobus ſpecie tenus parachroniſmis in Bulla Pii IV. edita prò confirmatione Concilii Tridentini, hæc ſubdit: *Profectò ſi hæc ad ævum Caroli Magni ſpectarent, continuò veterum Tabularum cenſores Bullam Pii IV. inter commenticias reijcerent ; ludicrum igitur agunt* ( ut cum eodem loquar ), *qui ex notis chronologicis, quas non ſatis ſibi conſtare deprehenderint, vetera Diplomata audent explodere*. Fontanini eruditi animadverſio.

Diutiùs, quam optabam, ab inſtituto itinere deflexi, oportuit tamen primam noſtri Tabularii membranam per excurſum hiſtorico-criticum ab impactæ falſitatis fuligine abſtergere, & *alia*, quæ urgeri poterant, ingenuè proponere, & prò viribus diluere. Quod eo libentiùs feci, quia vix aliud in noſtro Archivo documentum extat, de cujus ſuppoſitione vel minimùm dubitari poſſit. Nec enim quiſquilias moror, & futiles quaſdam animadverſiones in omnia ferè noſtra Privilegia aggeſtas, & invidioſè in ſupremis Regni Tribunalibus quondam objectas, cum à ſapientiſſimis Senatoribus habitæ riſui fuerint, quas tamen non omittam, quoties occaſio tulerit, in hujus Chrono- Archivi documenta à falſi ſuſpicione aliena.

 logiæ

logiæ decurſu ad trutinam revocatas, prò meritò caſtigare: Nunc enim ampliſſima Beneficii confertim ab Umfredo, Montis Veteris Dynaſta, Monaſterio poſt paucos annos collata, cum primùm Caveoſi Comes evaſit, me admonent, ut paululùm ad Caveoſanam Hiſtoriam divertam.

Robertus primus, Gaufridus primus, & Robertus ſecundus Com. Cav.

Robertus Viſcardus, Comes quondam Caveoſanus, Gaufrido ſuæ Sororis Marito dotis titulo (ut conjectare licet) Caveoſum ceſſit. Cum autem Apuliæ Ducatu poſt Umfredi Fratris obitum ipſe Robertus anno 1056. potitus eſſet, & anno 1059. à Nicolao Romano Pontifice tùm Apuliæ, tùm etiam Calabriæ Dux pronunciatus fuiſſet, harum Regionum Dynaſtas contra ſe ad arma excitavit. Hos inter præcipuè fuere Robertus præfati Gaufridi Filius, Caveoſi Comes, & Goffridus Comes Converſani ejus Nepotes, de quibus Gulielmus Appulus (a):

*Doctior his aderat Robertus de Scabioſo*
*Monte Comes dictus, Goffridi Frater, & ambo*
*Orti Germana fuerant Ducis....*

Verùm cum arma haud proſperè Goffrido ceſſiſſent (b) amiſſo circa annum 1067. præter alia Montepiloſo, qui tùnc locus erat munitiſſimus, ut idem cecinit:

*Peluſii Montis Caſtrum pavefactus, adire*
*Goffridus properat, ſed Dux quod non valet armis*
*Arte capit Caſtrum.*

in gratiam Viſcardi uterque nepos paulò poſt rediit, ut ibidem innuitur:

*Roberti Comitis Dux, Goffridique Nepotum*
*Non mala reſpexit tolerata, ſed immemor Iræ*
*Dum veniam poſcunt, indulget Avunculus illis.*

Umfredus Comes Caveoſi.

Pace igitur facta Robertus Caveoſanus ad pietatis opera converſus duo (c) eodem anno 1068. ſcripſit Privilegia in gratiam Eccleſiæ Tricaricen., ejuſque Epiſcopi Arnaldi, in quorum primo Caſtrum largitur Armenti, & in altero Montem Murrum, quæ adhuc à Tricaricen. Præſule poſſidentur: ibique ſuam Uxorem vocat Amelinam, & ſe ſubſcribit: *Montis Caveoſi Comitem, & Gubernatorem Tri-*

---

(a) De Geſtis Normann.
(b) Malaterra l.1.c.39. Protoſpatha.
(c) Ughel. in Tricaricen.

Digitized by Google

*Tricaricenſem*. Inter cæteros autem Teſtes legitur *Umfredus de Monteſcabioſo*, qui Beatricem ornatiſſimam Puellam Roberti, vel Sororem, vel Filiam duxerat, dotiſque nomine Civitatem Veterem Monti Caveoſo conterminam adeptus fuerat, uti ex noſtro Tabulario colligi ſuperiùs indicavi; eodemque titulo Caveoſanum Comitatum paulò poſt, mortuo ſine filiis Roberto, aſſecutus eſt; quapropter potentia, & opibus auctus Umfredus, plurimis in noſtrum Cænobium collatis muneribus, ſuæ erga S. Michaelem Archangelum pietati liberiùs indulgere potuit; quam non nihil promovit Simeon Venerabilis Abbas, Stephano ſubrogatus, & ejuſdem, quâ Prædeceſſor fruebatur, apud Umfredum, familiaritatis, ex opinione innocentiæ, & probitatis, qua Monachos etiam ſibi devinxerat, comparatæ.

Igitur in ejus manibus Umfredus anno 1078. menſe Octobris tradidit liberè poſſidendum Caſale de Cornu dictum, cum Eccleſiis S. Mariæ, & S. Joannis Baptiſtæ, & cum omnibus Terris, & Vineis ad eas ſpectantibus, juribuſque tranſitus, & exitus. Largitus eſt prætereà S. Nicolai de Appio Eccleſiam cum Terris cultis, & incultis, ac Vineis, & quatuor homines cum Domibus; quæ Appii Bona deindè Ludovicus Abbas anno 1378. cum Terris Policeti permutavit. Donationem autem piiſſimus Comes feciſſe profitetur *S. Michaeli de Civitate Veteris Montis Scabioſi, annuente Epiſcopo Benedicto de Civitate M., in cujus Diæceſi* (latifundium nempè cum Eccleſiis) *conſtat, & annuente Epiſcopo Roberto Tricaricenſi, qui ſuis manibus Eccleſiam* (puto S. Nicolai) *concedente Deo ſagravit*; hæc ſunt Umfredi verba, *quæ libuit* hic per exteuſum enarrare, *cum alibi* fuerint expenſa. Ut verò huic Conceſſioni perpetuam firmitatem conciliaret Umfredus, anathema in ſuos Succeſſores intorſit, æternumque imprecatus eſt interitum, ſi eorum aliquis ullam ſuper hoc Monachis in poſterùm creaverit moleſtiam, eoſdemque ad libras auri ſeptem Fiſco, totidemque Monaſterio perſolvendas damnavit.

Simoni Abbati donat Caſale de Cornu.

Diploma primo loco ſignavit Robertus præfatus, qui in ſyllabo Tricaricenſium Epiſcoporum apud Ughellium de-

ſide-

ſideratur ; deindè Benedictus Epiſcopus Matheræ , ut litera illa initialis indicare videtur , poſt Epiſcopos ſubſcribit *Umfredus ſenior de Monteſcabioſo* , nempè Comes , ſeù Dominus , prout ſe vocitaverat in Diplomatis exordio , legitur enim apud Peregrinium de Beneventano Ducatu anno 1013. *Et ſumus reſidentes in Civitate Luceriæ ad ſeniorandum, ideſt ad Dominandum , judicandum , & regendum* ; poſtremò ſubſcribunt quinque Presbyteri .

1082. Et dimidium Murri.

Quia tamen Monaſterii redditus adeò tùnc erant imminuti ob antiquos Sarracenorum in hiſce regionibus incurſus , & ob aſſiduas bellorum , quæ nuper Græcos inter , & Nortmannos exarſerant , procellas , ut vix pauci ad Deo inſerviendum inibi ali poſſent , idcircò idem Comes quinque alia ampliſſimarum Donationum præcepta brevi tempore conſcripſit , ut redditibus auctis , Dei etiam cultus in Monaſterio augeretur , & monaſtica diſciplina refloreſceret . Anno igitur 1082. menſe Februarii coram ſuis equitibus largitus eſt , & per fuſtem tradidit Abbati Simeoni , ejuſque Advocato Petro Judici dimidium ampliſſimi latifundii , de Murro dicti ; illud nempè , quod poſitum eſt trans Bradanum flumen , cum omnibus terris cultis , & incultis ad ipſum attinentibus , ſinè ulla prorsùs à quoquam dependentia , aut ſubjectione .

In finibus autem ejuſdem latifundii deſignandis pluribus utitur Umfredus , quemadmodum & alii poſt ipſum factitarunt , vocibus barbaris , in hiſce Apuliæ regionibus adhuc retentis , uti ſunt *Serra* , & *Serricella* , quæ Montium , & Collium dorſa ſignificant , vel etiam ſupercilia , & Juga , ex quibus *Jugones* etiam dicti ſunt . *Garamellæ* , & *Garammæ* ſunt aquarum ſtagnantium receptacula ; *Calaprycur* Pyrus ſylveſtris ; *Gravina* , vallis profunda , torrentis ad inſtar aquis pluviis tumeſcens , & *Mediana* , quæ medium denotat , quo pacto Janua media , & principalis , Mediana dicitur , & non ſemel etiam prò inſula ponitur in medio amnis , juxtà illud .

*Inſula ſit Maris , at ſi dulcis aquæ Mediamnis* .

*Limaturæ* demùm loci paluſtres ſunt , limoque referti ; quamvis non ſemel etiam agri culti limatura dicantur .

Sed

Sed præter Chronologiæ inſtitutum non erit duo in hoc diplomate exponere, quæ aliis pluribus Privilegiis communia ſunt, quorum primum eſt, hanc donationem ab Umfredo non nudis verbis factam, aut ſolo ſcripto, ſed per fuſtem peractam, ut ſolemnior haberetur. Antiquitus enim, quod etiam modo ſæpiſſimè uſurpatur, cum quis in poſſeſſionem immitteretur, quædam adhibebantur ſymbola, ut puta gladius, calcar, liber, baculus, annulus, & ſimilia, prout juriſdictio erat vel militaris, vel politica, vel eccleſiaſtica. Si verò fundus concederetur, ſymbolum multoties erat Gleba ex fundo deſumta, fuſtis, ceſpes, virga, aut ramus arboris, & hinc legitur in quadam conceſſione Ludovici Pii anno 912. *Imperator per fuſtem, quam manu tenebat Epiſcopo reddidit*; Et hæc ſymbola aſſuta quandoque ipſis erant membranis, ut Mabillonius (*a*) aſſerit, & quamplures chartas ad hanc diem aſſervari teſtatur, in quarum imis limbis aſſutæ ſunt feſtucæ, vel brevia lignorum fruſtula, quorum aliqua juſtæ ſunt magnitudinis, forma quadrata, aut laterculari. Donatio fit per fuſtem.

Alterum verò eſt, ab antiquis temporibus Monaſteriorum advocatos hubuiſſe, quorum munus erat ſæcularia placita exercere, juramenta de calumnia præſtare, clericis vetita tùm lege canonica, tùm etiam civili, præcipue Langobardorum *lib. 2. tit. 48. §. ult.*, & jus dicere ſubditis Monaſterii, & ne gratis omninò ſervirent, tertia pars mulctæ luendæ à Reis injuſtam cauſam foventibus (aliæ enim duæ dabantur Eccleſiæ) ipſis tribuebatur. Eorum etiam munus erat largitiones Eccleſiis factas acceptare, in bonis diſtrahendis, vel emendis adhibere conſenſum, ſuis conſiliis Abbatem in rebus arduis juvare, ſua authoritate à rapinis, & moleſtiis Monaſterium protegere, aliaque multa peragere, quæ in diplomate pro Monaſterio Paſſinianenſi dato (*b*) recenſentur. Cum conſenſu Advocati.

Cæperunt autem aſſignari Eccleſiis iſti advocati paulò poſt conſulatum Styliconis, ut ex Synodo Carthaginienſi Can. 99., eorumque dignitas adeò excelluit, ut ipſi Supremi

(*a*) Tom. 4. in actis SS.

(*b*) Ughell. to. 7. in ſupplem. f. 1419.

Digitized by Google

premi Principes , & Imperatores non dedignarentur , ſe Eccleſiarum advocatos profiteri . Eligebantur autem ab Abbatibus , & ab Epiſcopis in præſentia Comitum lege Langobard. *lib.* 2. *tit.* 48. , & interdum petebantur à Principe , ut ex capitulari Caroli Magni liquet , vel à S. Pontifice , ut legitur in Bulla Leonis IX. apud Gretſerium ( *a* ) : quin etiam iidem, qui Monaſterium conſtruebant , vel donis locupletabant , aut honeſtabant Privilegiis , ſibi , ſuiſque hæredibus hoc munus tribuerunt advocati , & defenſoris ; undè & Umfredus , & deindè Radulphus , & Emma conjuges ſe noſtri Monaſterii defenſores , & advocatos profeſſi ſunt .

Hinc autem evincitur , Monaſterium ſemper ſuos habuiſſe advocatos , quos alii advocarios , defenſores , & Vicedominos dixere , quoſque modo Judices , Conſervatores , vel delegatos vocant , quamvis non ignorem , recentes hos Judices cum antiquis advocatis adamuſſimnon congruere .

Diploma vero , de quo locuti ſumus , ab Umfredo Caveoſano Comite ſcriptum , non ſolum ipſe ſua manu ſignavit , ſed juſſit , ut ſuo etiam calculo probarent duo

Gualterius Vis-Comes ſubſcribit.

ejus Filii grandiuculi , Goffridus nempè , & Radulphus , & poſt quendam Petrum quinto loco ſubſcripſit etiam Gualterius Viſcomes , ille idem ( niſi nominis affinitate decipiar ) , qui anno 1065. una cum Umfredo Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum donaverat , & Viſcomes dicebatur , quia Vicarium miniſterium Caveoſano Comiti præſtabat , cum antiquitus ( ut in quibuſdam edictis legitur ) quilibet Comes ſuum haberet Vice-Comitem , cui nunc reſpondent Prætores , ſeu Gubernatores annui a locorum toparchis conſtituti ad jus dicendum Vaſſallis . Et licet Vis-Comites quandoque cum Arcis Præfecto confundatur , & multoties non precariam , ſed propriam haberent juriſdicundi poteſtatem , a comitibus in feudum illis conceſſam , quæ tùnc media juſtitia dicebatur , & etiam nunc in Anglia Viscomitatus inter præcipuas dignitates recenſetur , nihilominus illius ævi , ac Gentis praxim luculenter aperit

( *a* ) De Cruce fol.2622.

rit quoddam Rogerii Ducis præceptum (a) anno 1097. Melphienſi Epiſcopo indultum, in quo Vice-Comites inter Stratigotas, Judices, Curmarchas, Platearios, alioſque inferioris ſubſellii miniſtros recenſentur.

1082. Umfredus largitur Bona Gurgulionis.

Mortuo haud pridem Benedicto Epiſcopo Matherano; Arnaldus Acheruntinus Archiepiſcopus à Gregorio VII., uti ſupra indicaſſe memini, illius Eccleſiæ, ejuſque Diæceſis, in cujus finibus (b) Mons Caveoſus continetur, adminiſtrationem aſſecutus eſt, tactuſque Patrum Caveoſanorum religione, Umfredum ſuopte ingenio ad pietatis opera propenſum, ſuo conſilio impellit ad aliud Privilegium eodem anno 1082., eodemque Februarii menſe ſcribendum. Piiſſimus igitur Comes manibus Sacrum Evangeliorum Codicem tenens in ſymbolum tradendæ poſſeſſionis Eccleſias S. Reparatæ de Gurgulione, S. Mariæ de Abbate Lupo, & S. Benedicti de Acina Tricaricenſis Diæceſis in perpetuum liberè poſſidendas, Monaſterio, ejuſq; Abbati Simeoni, & Petro Judici advocato conceſſit, cum omnibus fundis, ac prædiis, paſcuis, aquis, & aliis omnibus, quæ earumdem Eccleſiarum erat patrimonium, diraſque minatur in eos, qui hanc largitionem irritam facere aliquando præſumant. Et huic diplomati primus calculum ſuæ manus ſigno præbuit Arnaldus Archiepiſcopus, deindè Goffridus Converſani Comes, ſubſcripſit poſteà Umfredus, ejuſque Filii Goffridus, & Rao, qui nùnc primum ſe Machabæum indigitat, argumento, quod proprium fuerit Radulphi Agnomen, quia illud nec à Patre, nec à Fratre majori natu, unquam, quod ſciam, fuit uſurpatum.

1083. Adjicit Caſale Avenæ.

Sub illud quoque tempus conſtruxerat Comes Umfredus in tractu agri Caveoſani eo in loco, qui quondam Avena, modo Avinella dicitur, quoddam Caſale, æmulatus aliorum Nortmannorum Comitum laudabile ſtudium, qui his Apuliæ regionibus potiti, ad feracitatem agris alioqui uberrimis reſtituendam, ob Colonorum infrequentiam tamdiù exulantem, Pagos, quos Caſalia vocant, hùc, illùcque excitarunt, ruſticiſque inhabitandos conceſſere,

D ut ij

(a) Ughell. tom. 1.

(b) Dec. 797. an. 1597. in p. 4. diverſ.

Digitized by Google

ut ji vitam à civicis turbis, cuiſque ſemoti ducentes, terras colerent, vineas plantarent, & cætera colonica opera, his unicè occupati, exercerent. Verùm quia ob aeris, ut opinor, intemperiem prænatum Caſale infrequens evaſerat, nec Coloni adduci poterant, ut illic ſuas figerent ſedes; Umfredus nobilium, & Civium Monteuſium, & Arnaldi Archiepiſcopi, quem honoris gratia ſuum vocat Patronum, conſilio uſus, anno 1083. menſe Januari Ind. 6., ſacrum Evangeliorum librum tenens, conceſſit *Antiquo* ( verba ſunt Umfredi ) *Canovio, ac regalari S. Michaelis Archangeli, ſito in Civitate veteris Montis prædicti Caveoſi, ac ejus Abbati Simeoni*, *Caſale* præfatum Avenæ perpetuò à Monaſterio poſſidendum, & Eccleſiam S. Joannis Evangeliſtæ, cujus rudera adhuc ſuperſunt, inibi erectam, cum ampliſſimis agrorum tractibus, vineis, arboribus, aquis, paſcuis, & cæteris omnibus ad dictum Avenæ Caſale, & ad mare contiguum attinentibus. Jus prætereà piſcandi fecit, tum in mari, tum in fluminibus, ac lacubus, apprehendendi, quæ ex naufragio ſupereſſent, & exigendi pedagia, tùm de Portu, & fluminibus, tùm de Platea, à vendentibus, nempè, vel ab ementibus ibidem.

Cum jure Plateæ, venationis &c. Jus quoque indulſit venationis, comprehenſionis ſervi, & cujusvis alterius rei deperditæ, ſeque, ſuoſque ſucceſſores inſtituit omnium horum Monaſterii jurium Patronos, & defenſores.

Diploma autem propriæ manus ſigno iidem munierunt, qui ſubſcripſerant præcedenti, ſi Goffridum Converſani excipias, cujus loco legitur Goffridus Puliani Comes, niſi ille idem fuerit, ac Comes Converſanenſis, qui poſteà in Græciam trajecit cum Roberto Viſcardo Avunculo, ejuſque morti anno 1085. in promontorio (*a*) Caſſiope Inſulæ Corcyrenſis ſecutæ, cum aliis Primoribus interfuit, quibus omnibus in Italiam redeuntibus, etiam ipſe Converſanum regreſſus eſt, ubi ſub anno 1088. à Leone Epiſcopo Cuperſanenſi (*b*) ſpiritualem juriſdictionem

(*a*) Ordericus Vitalis lib.7. (*b*) Ughell. tom.7.

Digitized by Google

nem impetravit pro Monaſterio S. Stephani Ordinis S. Benedicti Monopoli exiſtente.

Sed ad Umfredum regrediamur, qui diſrupto pæne ſuæ erga nos munificientiæ repagulo ſplendidum anno 1085. Ind. 8. menſe Maji immunitatis privilegium (a) conceſſit. Eccleſiam enim ingreſſus, & Sacrum Evangeliorum Codicem ſuper Altare ſuis manibus reponens, eodem Abbate Simeone, & *Michel Advocato* acceptantibus, Monaſterio S. Michaelis *ſito in Civitate Vetere* indulget, ut ſine ulla dependentia, & ſubjectione poſſideat impoſterum omnia ſibi quomodocumque ſpectantia: Hominibus autem Monaſterio inſervientibus, vel ejus Caſtella, Caſalia, & Territoria incolentibus immunitatem à quovis munere, ſervitio, angaria, & ſolutione juris Plateæ concedit. Statuit præterea, ut ſibi Monaſterium præſcribat, ſi quid invenerit, vel comprehenderit in ſuis latifundiis, & interdicit, ne impoſterum unquam à ſe, ſucceſſoribus, ſuiſque Miniſtris, quos Ordinatos vocat, detineatur aliquis Monachus, Clericus, vel Laicus ad Monaſterium attinens, ſine Abbatis licentia, vel cogantur ad aliquod Adjutorium, vel ſervitium tribuendum. Demùm, ut paucis ſe expediret, poteſtatem omnem juriſdicundi, coercendi, & plectendi Abbates, Monachos, Clericos, vel Laicos, & quoſvis Monaſterii Miniſtros, & ad illud ſpectantes à ſe abdicat, & a ſuis hæredibus, & Ordinatis. Quapropter hujus Diplomatis vigore Umfredus omnem meri, & mixti Imperii juriſdictionem, quam in bona, & perſonas Monaſterii, tùm Eccleſiaſticas, tùm Laicas, habebat, generosè, ac piè in manus Abbatis, ac ejus advocati Michaelis reſignat ſub obteſtatione, ac interminatione divini judicii. 1085 Immunitatis Privilegium indulget.

Et ſanè hoc inſigne immunitatis præceptum jure ſuo poterat Umfredus conferre, cum Caveoſum in allodium non autem in feudum poſſideret; antequam enim Rogerius Siciliæ Rex, Apuliæ, & Calabriæ Dynaſtas ſibi ligios, ac vectigales feciſſet, ſupremum, & abſolutum; quiſ-



(a) In Appendice t.5. Annal. Mabill. num.30.

quiſque in ſuis comitatibus habebat dominium; ut præter alios teſtatur Freccia (*a*) eruditiſſimus J. Conſultus. Diploma autem iſtud, Umfredus ſignavit, Gualterius, ille idem forſan, quem Caveoſi Vis-Comitem fuiſſe dixi, Goffredus, & Radulphus Machabæus Umfredi filii, & Aſſegotus.

1093. Avinellæ fines prorogat.

Excitaverat etiam Umfredus in Caveoſano tractu poſt annum 1083. Caſtellum quoddam in gratiam Bernardi Paſſavantis, cui illud largitus fuerat, & in favorem quoque Monaſterii S. Mariæ de Bantio præceptum ſcripſerat conceſſionis Eccleſiæ S. Marci cum fundis pro dote Eccleſiæ prædictæ. Verum quia hæc omnia intra antiquos fines ſita erant Caſalis Avinellæ jam Monaſterio S. Michaelis conceſſi, idcircò hoc anno 1093. Ind. prima menſe Octobris Simeonem Abbatem illùc adducens, antiquos terminos in Diplomate anni 1083. deſcriptos removet, & alios de novo conſtituit, ad jacturam ſarciendam, quam pro Caſalis Paſſavanti conſtructione, & pro Eccleſiæ S. Marci largitione noſtrum Monaſterium incurrerat. Inter fines autem ab Umfredo recenſetur Poſtacium, quod ſtationem, vel Caulam pecorum innuit, vel palorum ſeriem, vulgò *Palizata*.

Urbanus Secundus Matheram appellit.

Hoc privilegium, quod poſtremum fuit ex iis, quæ Umfredus Caveoſi Comes noſtro Monaſterio inſigni liberalitate, animique religione conceſſit, ejuſdem pietatem commendat in Monaſterium S. Mariæ de Bantio Ordinis S. Benedicti, quod, licèt modo vix ſervet veſtigia, & uberes ejus redditus in Abbatum ſæcularium manus devenerint, illuſtre tamen quondam fuit, & vel hoc nomine celebrandum, quod inibi Urbanus Secundus cum in minoribus eſſet, aliquandiù regularem vitam duxerit (*b*), quam in Monaſterio Cavenſi profeſſus fuerat, qui deindè anno 1088. ad Summi Pontificatus culmen evectus, paulò poſt Clementis Pſeudo-Pontificis factione agitatus, ad Rogerium Burſam, Viſcardi Filium, Apuliæ, & Calabriæ Ducem confugit, qui Melphiæ morabatur,

(a) De ſubfeudis lib. pr. cap. 14. num. 69.

(b) Ughell. in Acherunt. in Diplom. pro Bantio.

Digitized by Google

tur, & indè hoc anno 1093. Matheram divertens, S. Euſtachii Monaſterium Ordinis S. Benedicti ſua (*a*) præſentia honeſtavit, & illud S. Mariæ de Armenis, itidem Benedictini Ordinis, Sacris Indulgentiis muneratus eſt. Et quidem hoc de Armenis, quod dicunt Monaſterium, ad ſæculum uſque decimum quintum Monachos aluit, nàm anno 1439. Abbas inibi erat F. Angelus Magiſtri Viti, & Prior F. Joannes de Palmeriis, & anno 1450. F. Angelus Melvindi Abbas cum conſenſu ſuorum Monachorum Vineale quoddam in emphyteuſim conceſſit, ut colligitur ex inſtrumentis, quæ Matheræ habentur, modo Eccleſia tantùm ſupereſt, & antiqui Monaſterii aliqua veſtigia.

Beata Eugenia moritur.

Hoc autem eodem anno, quo Urbanus Matheram appulit, ad Cœlos conſcendit Beata Eugenia (*b*) Abbatiſſa antiqui Parthenonis S. Luciæ, & Agathæ Ordinis quoque Benedictini, quod bonorum opulentia, & regularis diſciplinæ cuſtodia celebre adhuc eſt, ibique anno 1208. Matthias Partinico Caſtri Novi propè Spinazzolium Baroniſſa, habitum induit, Caſtrumque cum ejus opimis fundis Monaſterio donavit, quod etiam nùnc, licet incolis deſtitutum, poſſidetur: & cum eximiæ eſſet virtutis, & probitatis ibidem inſtituta eſt Abbatiſſa à Simeone Secundo Monaſterii Euſtachiani Abbate, in quo uxoris religionem æmulatus Euſtachius de Ammirato monaſticis votis etiam ſe obſtrinxit.

Umfredus moritur.

Umfredus vero Comes, qui etiam in Catalogo illorum Principum, quorum munificentia celebre Monaſterium SS. Trinitatis Venuſiæ ditatum fuit, recenſetur (*c*) cum filio Riu Comite *M. Caveoſi*, (non Rive, ut perperam *legitur* in edito) ſuæ pietatis præmia conſequuturus hoc eodem anno 1093., vel paulò poſt deceſſit, & ne à Monachis vel mortuus divelleretur, quos vivens tàm arctè complexus fuerat innumeris beneficentiæ argumentis, in Monaſterii Eccleſia humari (*d*) voluit, relicto Comitatus hærede Goffrido, ex filiis majori natu, qui, quòd ſuo calculo etiam *laudaverit* quinque poſtrema à Patre indulta

(*a*) Protoſpa ha anno 1093.
(*b*) Idem. ibidem.
(*c*) Rerum Italicar. to. 7. col. 950. à.
(*d*) Regeſtum anno 1093.

dulta privilegia, jure merito eorum numero accenſendus eſt, quorum liberalitate Monaſterii fortunæ, & jura adaucta ſunt.

Umfredi Filius Goffridus.

Et hic quidem eſt ille Hiſtoricorum teſtimonio celebris Goffridus, à Villelmo Tyrio (*a*) perperam Umfredus vocatus, qui Urbano Secundo claſſicum ad Chriſti ſepulchrum è manibus Infidelium vindicandum canente, ſe Bohamundo Viſcardi filio comitem dedit, & anno 1096. mare trajiciens cum ſacrorum militum exercitu poſt varios itinerum labores, & Græci Imperatoris fraudes ſuperatas, & poſt expugnatam Nicæam, tandem in celeberrimo illo prælio, in quo tres cœlites albis equis inſidentes prò fidelibus pugnaſſe viſi ſunt, contra Barbarorum innumeram multitudinem generosè dimicans, anno 1097. Kal. Julii prò Chriſti fide, ac gloria vitam profudit, ab omnibus, ſed præcipuè à Duce Bohamundo, cui nedùm ob ſanguinis nexum, ſed etiam ob egregias animi dotes acceptiſſimus erat, ſummoperè deſideratus, ut præter Ordericum Vitalem (*b*), qui eum dicit fuiſſe virum multùm militarem, bonæ indolis, illuſtrem, & præter Caracciolum (*c*), teſtatur author coævus (*d*) apud Mabillonium in Muſeo italico.

Nec non Radulphus Guidelmus, Robertus, & Adelacia.

Præter Goffridum ſuſceperat Umfredus ex Beatrice Uxore tres alios filios, Radulphum nempè Machabæum, Guidelmum, & Robertum, nec non Adelaciam; unde mortuo Gaufrido improli, Radulphus fratrum ſuperſtitum natu major Caveoſi Comes proclamatur. Hic autem Patris munificentiam, Fratriſque demortui æmulatus Religionem, tria diplomata indulſit uno, eodemque anno 1099., quo certè nullus Monaſterio fauſtior illuxit, ſi annum 1584., quando Congregationi S. Juſtinæ acceſſit, excipias, tùm ob adauctas mirum in modum res familiares, tum etiam ob ſolemnem Eccleſiæ dedicationem ab eo procuratam.

1099. Radulphus S. Mariam de Pomarico largitur Creſcentio Abbati.

Deceſſerat eodem ferè tempore, quo Umfredus Comes obierat, Simeon Venerabilis Abbas, qui perpetuò ad augendos Cœnobii redditus, & ad regularis diſciplinæ incre-

(*a*) Lib.2. cap.12. Belli Sacri.
(*b*) Lib.9. an.1097.
(*c*) In nomenclatore.
(*d*) De Bello Sacro fol.144., & 151.

Digitized by Google

incrementum incubuerat ; quare habito delectu Creſcentius ſpectatæ virtutis præficitur , cui Radulphus Machabæus menſe Maii præfati anni 1099. Eccleſiam S. Mariæ de Pomarico largitus eſt cum vineis , & cæteris fundis ad illam ſpectantibus , ſeptemque villicos adjecit , illius Eccleſiæ ſervitio addictos , cum libera poteſtate utendi jis bonis abſque ulla dependentia ab ipſo , & a ſuis hæredibus ; quorum ſingulos , ſi quandoque hoc oblationis præceptum irritare auſi fuiſſent , anathematis vinculo innodandos Abbati dimiſit , uſque dùm plenè ſatisfeciſſent : hanc autem oblationem , quam approbarunt etiam duo ejus Fratres Guidelmus , & Robertus , feciſſe teſtatur Radulphus prò anima Rogerii Comitis Calabriæ , & Siciliæ , ſui Patris Umfredi , Fratris Goffridi , Matris Beatricis , Jordanis Cognati , Judithæ ſacros , & prò ſe , ſuâque conjuge Emma , & prò ſorore Adelacia . Jordanus autem , quem hic cognatum vocat , filius fuit prædicti Rogerii Boſſi Siciliæ Comitis ab Eremburga ſuſceptus , & ex Patre Frater Emmæ , qui Syracuſis anno 1093. fato ceſſerat , non autem Jordanus Princeps Capuæ , & Cajetæ , Filius Riccardi primi Ducis Averſæ , & Frideſinnæ ejuſdem Rogerii Boſſi ſororis , anno 1090. mortuus , & Caſini (a) tumulatus , hic enim Amitinus tantùm erat Emmæ , & inſulsè à Radulpho cognatus fuiſſet appellatus .

1099. Eccleſiam Monaſterii curat dicari.

Quarto ab hinc menſe Radulphus accitis Caveoſum quatuor Epiſcopis , Librando nempè Tricaricenſi , Gerardo Potentino ( qui in ſerie præſulum Potentiæ alium Cerardum proximè præceſſit , quem modò Sanctorum albo relatum veneramur ) , Guidone Gravinenſi , & Amaro Motulenſi , ab iis ſolemni ritu conſecrari voluit Eccleſiam Monaſterii , Angelorum Principi , Michaeli nempè Archangelo dicatam , quæ fortaſſe præ vetuſtate fatiſcens , Simeonis , & Creſcentii Abbatum induſtria fuerat reſtaurata , vel in ampliorem formam redacta , & ut celebriori pompa , ac apparatu dies hic feſtus peraceretur , adfuere etiam ab eo invitati nonnulli proceres , quos inter Goffridus affuit Converſani Comes cum ſua Uxore Sichelgaitta , filioque Ro-

berto .

(a) Chron. Caſin. lib. 4. cap. 10.

berto, & Riccardus Siniſchalchus filius Rogerii Boſſi, & Frater Emmæ, Dominus Maxafræ, qui inſequenti (*a*) anno 1100. Monaſterio Carbonenſi in Lucania ad S. Nili Abbatis preces largitus eſt Eccleſiam S. Mariæ de Scanzana cum ſuis omnibus latifundiis, niſi Riccardum Siniſcallum interfuiſſe velis, filium Drogonis, & Emmæ Patruelem, cujus extat (*b*) privilegium anno 1108. S. Nicolao Barenſi conceſſum.

S. Salvatoris Caſale largitur, & alia plura.

Sed quia prudens æquè, ac religioſus princeps optimè callebat antiquam ſacrorum Canonum diſciplinam, qua ſtatuitur, certa quædam prædia eccleſiis dicandis pro dote deſtinari oportere, ampliſſimum munus in ipſa conſecrationis die, quam 29. Septembris fuiſſe ſuſpicor, ſimul cum Guidelmo Fratre obtulit Eccleſiæ recêns dicatæ pro anima Umfredi patris ibidem ſepulti, Beatricis matris, fratris Goffridi, & pro ſuorum crimicum indulgentia, in manibus enim Creſcentii Abbatis largitus eſt Eccleſiam S. Salvatoris in Caſtello poſitam, quod Robertus Comes extruxerat, Robertus nempè ſecundus Viſcardi nepos, ſi enim Viſcardus illius Arcis author fuiſſet, eum Radulphus tunc Ducem, non autem Comitem appellaſſet; eccleſiam quoque obtulit S. Baſilii in diſtrictu Appii, Eccleſiam S. Laurentii Martyris, & S. Juliani, & Roccas cum finibus ſuis, Murrum prætereà tùm ultra, tùm citrà Bradanum, quem Cis bradanenſem tractum Umfredus ſibi retinuerat, & Civitatem Veterem, Arcora dictam, Eccleſiam itidem S. Joannis iterùm concedit, cum Caſtro Avinellæ, medietatem omnium prædiorum, quæ Metaponti poſſidebat, & dimidium proventuum portus, Eccleſiam S. Mariæ de Cornu, S. Nicolai de Appio, Beati Benedicti de Acina, Beati Viti, S. Mariæ de Locoria, S. Mariæ Novæ, S. Nicolai propè Caſtellum, quod ipſe Radulphus, ut dixi, conſtruxerat, cujus modo nobile extat veſtigium, S. Luciæ, & S. Mariæ Veteranæ, quæ nempè ſita in Civitate Veteri, à S. Maria Nova, Caveoſi poſita diſcernitur, nàm Eccleſia S. Mariæ, quam modo de Veterano dicimus, anno tantum 1119. Monaſterio donata fuit cum feudo

(*a*) Santor. hiſt. Carbonen. fol. 150. (*b*) Ughell. tom. 7. Baren.

feudo Paſſavanti. Demùm donat Radulphus Eccleſias S. Simeonis propè turrim Severianam, S. Stephani Protomartyris de Rio, S. Martini, & S. Leonis, quas omnes Eccleſias cum ſuis latifundiis, cæteriſque juribus ad eas ſpectantibus liberè poſſidendas Monaſterio concedit, cujus ſe ſpondet defenſorem, & advocatum.

Huic diplomati (a) à Radulpho Machabæo ſubſcripto, teſtes accedunt Goffridus præfatus Converſani Comes, ejuſque filius Robertus, ille idem qui anno 1111. Eccleſiam S. Nicolai de Bario peculiari donavit privilegio, & demùm antè Aſſegotum, & Gilibertum ſubſcribit Guidelmus Radulphi Frater, & illius Roberti Pater, qui anno 1137. eidem S. Nicolai Templo quandam oblationem fecit, in cujus inſtrumento ſe filium, & hæredem dixit D. Guidelmi Machabæi M. Scabioſi, & Dominatorem medietatis loci Nohæ. Hunc autem perperam Ughellius Caveoſi Comitem fuiſſe dicit, deceptus fortaſſe hac ſubſcriptione: *Signum manus D. Roberti M. Scabioſi, filii D. Guidelmi M. Scabioſi*, ſe namque Comitem dixiſſet, non verò ſolùm Dominatorem prò medietate Nohæ, quod oppidum etiam tempore Willelmi ſecundi Siciliæ Regis pro una medietate (b) poſſidebatur à Raymundo de Cagnano, pro altera vero à Guidelmo de Tuulla, quorum alter, ſi conjectare licet, filius fuit Roberti, & nepos noſtri Guillelmi, vel etiam Abnepos.

Guidelmus Radulphi Frater.

Tranſacto deindè integro menſe, vel paulòplus à die dedicationis Eccleſiæ hujus Monaſterii, ne dotis eidem attributæ incerta eſſet poſſeſſio, placuit Radulpho fines prædiorum S. Salvatoris, quæ recens conceſſerat, deſignare, ut inter alias donationum membranas, quæ in Cænobii Bibliotheca (ut ipſe dicit) cuſtodiebantur, etiam horum finium deſcriptio aſſervaretur: aſſumpto igitur ſecum Abbate Creſcentio ad Caſtrum S. Salvatoris de Marina nuncupatum menſe Novembris perrexit, ubi Abbatis, Nobiliumque teſtium oculis ſingulos oblati latifundii fines ſubjiciens, poteſtatem fecit inibi vineas plantandi, conſtruen-

1099. Feudi S. Salvatoris fines deſignantur.

E

(a) In Appendice to.5. Annal. Ma. bill. n.51.

(b) Borellus lib.6. in Catal. Baronum.

Digitized by Google

ſtruendi pomaria, colligendi, & affidandi homines, quælibet alia liberè, & ſinè ulla à quovis dependentia peragendi, quæ Monaſterii utilitati magis prodeſſe viſum fuiſſet. Quia vero inter alios fines à Radulpho memoratos, Menſæ Imperatoris indicantur, Metapontinæ Civitatis nobile, & ſingulare, quod modò extat, veſtigium, & in præcedenti, aliiſque diplomatibus ejuſdem Urbis mentio identidem ingeritur, hinc non abſre fore putaverim, ſi paulò liberiùs ad antiqua Metaponti monumenta deſcribenda calamus excurrat, proderit quippè, ut illius Urbis memoria in noſtra Chronologia perennet, cujus magna ex parte latifundia, ac proventus quondam poſſedimus, & non pauca adhuc modò tenemus.

Metaponti Civitas deſcribitur.

Plures, ut in antiquis uſuvenit, Metapontinæ Civitatis laudantur Conditores, vulgò tamen creditur à Pyliis Theſſaliæ Populis, duce Neſtore, poſt exciſum Ilium, condita in ſinu Tarentino, dictaque à Græcis Metapontum, nempè Tranſmare. Hujus autem Urbis vires poſt plura bella fortiter geſta à Samnitibus non modicum attritas, Achæi à Sibaritis invitati, colonia deducta, reſtaurarunt; undè elati Metapontini, diù ancipiti marte cum finitimis Tarentinis pugnarunt. Multum etiam incrementi Metapontum tempore ſecundi belli Punici adeptum eſt, cum a Romanis inſigni injuria affectum ad Annibalem (a) defecit. Herdonea enim à Pœnis everſa, civitatiſque primoribus interfectis, reliquus populus Metapontum deductus eſt. Quænam verò deindè hujus Urbis ſors fuerit, ignoratur, hoc certè compertum eſt, ad magni Othonis uſque tempora perduraſſe, inter cætera enim loca ejus auſpiciis à Græcorum, & Sarracenorum manibus vindicata anno 969., Metapontum (b) recenſetur, quod paulò poſt funditus cum tot aliis clariſſimis Urbibus exciſum reor, & aliam ex ruinis excitatam Civitatem ad Bradani oſtia, quam Sanctiſſimæ Trinitatis dixere, quamque modò ad ſemidirutam turrim tantùm redactam turrim maris vocitant.

Ejus ædificia.

Agri Metapontini feracitatem luculenter referunt Numiſ-

(a) Livius l.5.,& 7. Decadis tertiæ. (b) Baronius.

miſmaticâ ſymbola ; quæ adhuc extant ; typiſque excuſa ſunt (*a*), in quorum ſingulis habentur vel una, vel gemina ſpica, aut plura grana tritica, in jis etiam habentur vel aratri, quæ tunc in uſu erat, forma, vel Cereris caput ſpicis redimitum, vel columba, aut turtur ſpicæ folio inſidens, aut ſympulum, quo vinum, aliique liquores continentur. Hùc etiam attinet Meſſis aurea, quam Metapontini Apollini Delphico donarii loco tranſmiſere. Plura viſebantur in hac Civitate mirandi operis ædificia, inter quæ Theatrum erat inſigne, & Forum cum Ara Apollinis Ariſtæi, templum quoque Junoni ſacrum, aliud muſis, Palladi aliud dicatum, ubi (ſi Trogo fides ſit) inſtrumenta illa fabrilia diù ſervata ſunt, quibus equum ad Trojæ excidium Epeus conſtruxerat. Tantæ autem Civitatis, totque inſignium ædificiorum nihil modo ſupereſt, niſi quindecim ex duro lapide proceræ columnæ, in duas alas diſpoſitæ, novem ex una, & ex alia ſex, cum ſuis baſibus, epyſtiliis, & cimatiis, reliquum ampliſſimi ædificii duplicis columnationis, ut ex reliquiis cognoſcere licet, quod templum Palladis fuiſſe dicit Calzolarius (*b*), & Architæ ſcholam Leander Albertus (*c*), qui anno 1525. has regiones præſens inviſit, & viginti columnas tunc erectas recenſuit. Vulgi tamen fama eſt, illùc ſcholam Pythagoræ fuiſſe in templum conſecratam à Metapontinis, philoſophum illum, uti numen colentibus.

Iſtæ autem columnæ eædem prorſus ſunt ; quas Radulphus Machabæus *Menſas Imperatoris* nuncupavit, quaſque modo, corrupto vocabulo, *Meſe* dicimus. Undè verò hoc nomen acceperint, ignoramus, niſi quis divinare velit, hanc illis nomenclaturam acceſſiſſe ex aliquo eventu, qui fortè contigit, vel cum Octavianus Auguſtus illuc venit ad novum amicitiæ fœdus ineundum cum Marco Antonio (*d*), vel deinde cum Otho ſecundus Imperator anno 969. metapontum ſubegit. Quid menſe Imperatoris.

Radulphi verò Machabæi eximiam pietatem, ſummopere



(*a*) Golzius Tab. 30., & 31. M. Greciæ.
(*b*) Hiſtor. Monaſt. Dial. 4.
(*c*) In magna Græcia.
(*d*) Appianus lib. 5. Belli civilis.

Radulphus Piſticienſe Monaſterium erigit.

perè teſtatam faciunt favorabiles tabulæ in noſtri cœnobii commodum exaratæ, quibus Angelorum principis patrocinium ſibi demerere ſtuduit, & ampliſſimum Privilegium Eccleſiæ Tarentinæ tributum; locupletiſſimè quoque eam commendat Monaſterium S. Mariæ ab eo propè Piſticium erectum, ſplendideque Caſtellis Franculi, & Piloſi, aliiſque latifundiis donatum circa annum 1097., ad quod regulari S. Benedicti inſtituto formandum, Sacerdotem quemdam, Nicolaum nomine, apud Tarentinos probitatis fama clarum vocavit, eumque primum Piſticienſi Monaſterio Abbatem præficiendum curavit, cui paulò poſt defuncto, Joannem ſubrogari fecit, quem aliis muneribus, quæ mox recenſebimus, honeſtavit, & auxit. Hoc autem Monaſterium aliquot poſt ſæcula regulari deſtitutum diſciplina Nicolaus V. anno domini 1452. Patribus Cartuſienſibus S. Laurentii Padulæ conceſſit.

Machabæus dictus.

In ſuis autem Privilegiis Radulphus multoties ſe Raul nominat ex gallica voce Roaul, quæ Radulphum ſignificat, & conſtanter Machabæi agnomine uſus eſt, quod nunquam Pater Umfredus, vel Goffridus natu major aſſumpſit, licet deindè Machabæos ſe dixerint Rogerius Radulphi filius, & Guidelmus (*a*), ac Robertus fratres minores. Machabæum verò dictum crediderim ex græca etymologia pugnacem, & idcircò ſe ità inſcribit: *Ego Radulphus* (*b*) *Machabæus miles ſtrenuus*, quod ab aliis tunc temporis factitatum non facile reperies. Ex quo conjecture licet, eum militari baltheo fuiſſe præcinctum, qui honos tanti tunc habebatur, ut Rogerius ejus levir, qui deindè Rex fuit, non dedignatus ſit, ſe modo militem, modo Siciliæ, & Calabriæ Comitem ſubſcribere, hac enim prærogativa ji tantùm dignabantur, qui ex Avorum militari genere prognati eſſent.

Plures Civitates poſſedit.

Ob nuptias deindè cum Emma Rogerii Boſſi Calabriæ, & Siciliæ Comitis filia contractas, & ob multa bello fortiter geſta, plurimum ſplendoris, ac potentiæ adeptus eſt, non ſolùm enim Caveoſanum Comitatum tenuit, qui tunc longè, lateque protendebatur, & plures alias

(*a*) Ughell. to.7. in Acherunt. (*b*) Regeſtum 1099. M.Septemb.

alias Urbes ; ſed in aliquos quoque ſeniores , & milites poteſtatem habebat , ut ex donatione Eccleſiæ , & Caſalis S. Michaelis ad Baſentum (*a*) anno 1100. Joanni S. Mariæ Piſticii Abbati facta colligitur , ubi *Raul* vocatur *inclytus ſenior M. Scabioſi , & aliarum Urbium , & donationem* ( inquit ) *feciſſe conſilio uſum ſuorum ſeniorum*, qui fuere Aſpotus ſenior Caſtelluzzi , Arnoldus Gaunani , & Arſinaldus Ciuliani , Alaymus Stratigus , ideſt Dux , & alii ſui milites ; & præter hos etiam ſubſcribit Alaymus Comeſtabilis , & Goffridus Puliani dominus , qui diplomati Umfredi etiam ſubſcripſerat , niſi hic idem fuerit , qui Goffridus Converſani Comes , uti etiam tunc admonui , adhuc enim præfatus Converſanenſis Comes vivebat , & hoc anno Roberto Nortmanniæ (*b*) Comiti ex ſacro bello redeunti Sybillam filiam pulcherrimam puellam deſpondit .

Quod verò jam dicta confirmat illud eſt , Umfredum Radulphi Patrem ſemper poſt Comites , & Epiſcopos ſubſcripſiſſe in ſuis diplomatibus , ſecùs verò Radulphum , immò in donatione Eccleſiæ S. Andreæ de Pomarico , & S. Nicolai de Equo anno 1101. celebrata in gratiam (*c*) præfati Joannis Abbatis Monaſterii Piſticii , primus ſubſcribit Radulphus Machabæus ſenior Civitatis Severianæ , & Emma ejus Uxor , deindè ſignum ſuæ manus appoſuit Rogerius Calabriæ Comes , & demùm Guidelmus , & Robertus Machabæi Radulphi Fratres , & alii ſeniores , hujuſque præcepti meminit Rogerius Rex in quadam charta (*d*) anno 1133. eidem Piſticienſi Cænobio conceſſa , ubi Radulphum Machabæum vocat Comitem Civitatis Severianæ , Piſticii , & Appii . Quin etiam in Sicilia Comitatum Adernionis , & alia plura à Radulpho fuiſſe poſſeſſa ſuadent verba Friderici ſecundi Imperatoris in privilegio Cathedrali (*e*) Catanenſi anno 1200. indulto , in quo Adelacia Radulphi filia dicitur *Adernionis Comitatum de acquiſitione paterna obtinuiſſe* , & in privilegio

Etiam in Sicilia.

(*a*) Ughell. to.7. in Acher.
(*b*) Odericus lib.10.
(*c*) Ughell. in Acher.
(*d*) S. Laurentii Padulæ tabular.
(*e*) S. Nicolai Catanæ tabular.

Digitized by Google

legio Uuillelmi ſecundi Regis ſub anno 1088. Bona Monaſterii S. Mariæ Vallis Joſaphat Paternionis ( *a* ) recenſente, aliqua ab Emma Radulphi Machabæi Uxore donata indicantur, quod argumento eſt, Radulphum, & Emmam Paternionis, & Adernionis Comites etiam fuiſſe.

Moritur poſt an. 1101. Vixit Radulphus Machabæus ultra annum 1101., non tamen ad annum pervenit 1110., quando Emma ejus Uxor Monaſterio diploma largita eſt, & Rogerius filius ſe Caveoſanum Comitem profitetur. Præter autem dictum Rogerium Machabæum Emma Radulpho duas filias peperit, Adelaciam, & Juditham, de quibus infrà erit ſermo, nunc enim poſt ampliſſima Umfredi, & Radulphi Machabæi Comitum privilegia recenſita non eſt prætereunda ſingularis pietas cujuſdam privatæ ſortis mu-

1100. Saſſa mulier ſe, ſuumque dat Monaſterio. lieris, Saſſa nomine, Roſſemanni de Caſtello M. Caveoſi filiæ, quæ multum quidem dedit, cum ſe, ſuumque filium Gaudium, quo neminem in mundo chariorem habebat, anno 1100. menſe Junii huic Cænobio devoverit in manibus Creſcentii Abbatis, eidemque largita ſit Eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli, & S. Nicolai Confeſſoris, eo loco, qui Rio dicebatur poſitam, & cuncta ad illam Eccleſiam attinentia, nec non ſe devota mulier obſtrinxit ad Sanctimonialium habitum induendum, ſi Creſcentii Abbatis aſſenſus accederet, aut indulgentia permitteret. Huic autem donationi, ex qua liquet, etiam antiquitus plures extitiſſe Monaſterio devotos, quos modo Oblatos dicimus, teſtes adfuere Petrus Judex, Thomas Viſcomes, & Melus presbyter S. Angeli.

Emma Radulphi Machabæi Uxor Radulpho munificentiſſimo principi ſuperſtes fuit Uxor Emma, non minùs ob profuſam beneficentiam, qua cum marito certaſſe videtur in Monaſterii juribus, ac fortunis augendis, quam ſanguinis ſplendore commendata, cum Rogerii Boſſi Siciliæ, & Calabriæ comitis filia fuerit, & Judithæ primæ ejus Uxoris, quam Hedeviſa relicta Roberti de Grentemeſmil Roberto pepererat Ebroicenſi, nepoti Riccardi primi Nortmanniæ ducis. Et quidem hiſce parentibus Emmam ortam licet noſtri Tabula-

rii

( *a* ) Ibidem.

Digitized by Google

rii (*a*) membranæ liquido evincant, attamen hoc idem operæ pretium erit extraneis documentis oſtendere, nec enim levis erit negotii, eximiam hujus cœnobii patronam ſuis legitimis parentibus aſſerere. Porro in duobus diplomatibus à Radulpho Machabæo (*b*) conceſſis anno 1100., & 1101. Monaſterio Piſticienſi apponitur *Signum manus D. Emonæ comitiſſæ, filiæ Rogerii comitis Calabriæ, & Siciliæ*, & in diplomate Vuillelmi ſecundi regis, cujus etiam ſuperius memini anno 1188. expedito pro Monaſterio S. Mariæ in Valle (*c*) Joſaphat, hæc habentur: *Et aliam terram cum antro, & orto ſuo, qui eſt antè Eccleſiam S. Reparatæ extrà muros Tarenti à D. Emma Comitiſſa filia magni, & inclyti Comitis Rogerii Siculi pro redemptione animæ prædicti ſui patris, ſuique conjugis Radulphi Machabæi &c.* & plura extant alia documenta à Pyrrho, & Groſſio etiam edita, quibus Adelaſia filia Radulphi, & Emmæ, ſuum Avum vocat Rogerium Comitem, & Rogerium regem Avunculum.

Quod vero Rogerio Comiti Emmam Juditha ejus prima Uxor pepererit, Radulphus Machabæus Emmæ maritus fatetur in ſuo diplomate, in quo Judithæ ſuæ ſocrus (*d*) mentionem ingerit. Et hæc nedùm noſtram hanc Emmam enixa eſt, ſed etiam duas alias filias, nempè Mathildim, anno 1080. Raymundo S. Egidii, & Toloſæ comiti nuptam, & alteram Emmam à Philippo Francorum rege expetitam, Comiti autem Claramontis copulatam, uti diſertè dicit Malaterra author (*e*) coævus, & qui in Sicilia juſſu Rogerii Boſſi ſcribebat, ac proindè longè præferendus Orderico Vitali Angligenæ, qui circa annum 1140. in Monaſterio Uticenſi Normanniæ Monachus narrat, hanc Judítham ſterilem obiiſſe, poſtquam enim de Roberto Uticenſi S. Ebrulphi Abbate prolixè retuliſſet, illum apud Guillelmum ſecundum Normanniæ ducem falsò delatum, ſolum vertiſſe, & poſt brevem Romæ in Monaſterio S. Pauli cum aliquibus ſuis Monachis moram factam,

Filia Rogerii Boſſi, & Judithæ.

(*a*) Regeſt. 1115., & 1119.
(*b*) Ughell. in Acher.
(*c*) Tabular. S. Nicolai Caſanæ.
(*d*) Regeſt. 1099. M. Maii.
(*e*) Lib. 3. cap. 22., & lib. 4. cap. 8.

ctam, ad Robertum Viſcardum in Calabriam conceſſiſſe; à quo tria Monaſteria obtinuit, primum S. Euphemiæ, ubi Abbas diù vixit, alterum Trinitatis Venuſiæ, cui Berengarium Uticenſem Monachum præfecit, & aliud S. Michaelis apud Melitum, quod Vuillelmo, Uticenſi quoque Monacho, regendum commiſit, hæc deindè ſubdit: *Duæ ſorores uterinæ Roberti Abbatis, Judith, & Emma apud. uticum in Capella S. Ebrulphi morabantur ſub ſacro velamine, cumque in Normannia deſpicabiles haberentur, ad Fratrem ſuum in Calabriam venerunt, & ambæ nupſerunt, Judith Rogerio Comiti, Emma alteri, & ambæ ſteriles permanſerunt*: quod ſanè de Juditha trium feminarum parente dicendum non erat. Tanti tamen habita eſt Orderici authoritas apud ſcriptores, qui Malaterram oſcitanter percurrerant, ut Fazellus, Roccus Pyrrhus, & alii filias Judithæ tribuerint Eremburgæ ſecundæ Rogerii Uxori, & doctiſſimus (*a*) Peregrinius noſtram Emmam ex Abelaide tertia ejuſdem uxore natam autumet; nàm Juditham Rogerii conjugem fuiſſe ipſe penitus videtur ignoraſſe, quod tamen ex Malaterra, à quo cætera ſumſit, edoceri debuiſſet, quamvis hic (*b*) Roberti Abbatis ſororem deliciam vocet, non Juditham, quod amanuenſium culpa accidiſſe reor.

**Perperam cum Methilde cõfunditur**

Cæterum, quia cum quis principio peccat, in plures deindè errores labatur oportet, hinc factum eſt, ut auctores ab Oderico decepti, ignorantes Emmam Rogerii filiam fuiſſe, Mathildi ejus ſorori ex Eremburga natæ tribuerint quod de Emma fuiſſet dicendum, hinc apud Rocchum legitur, Mathildem Uxorem fuiſſe Raynulphi Maniacii (*c*) Comitis M. Caveoſi, & Avenellæ &c., ubi confundit Raynulphum Avellini Comitem, Maritum Mathildis, cum Radulpho Machabæo Emmæ conjuge. Nec errorem ſemel hauſtum dediſcere potuit Rocchus ex Falcone (*d*) Beneventano, quem ſequitur, quandoquidem Falco, Alexander Celeſinus, & quotquot ſunt illorum-

tem-

(*a*) In carta Chronol. Princ. Capuan.
(*b*) Lib.1. cap.19.
(*c*) In Chronol. fol.16.
(*d*) Chron. an.1132.

temporum ſcriptores, Mathildem Rogerii regis ſororem, matrimonio collocatam dicunt Raynulpho homini Germano, Abellini Comiti, non vero Comiti M. Caveoſi, vel Avinelli, quem Avinelli Comitatum, nuſquam gentium fuiſſe reor, quamvis Rocchus privilegia Eccleſiæ Panormitanæ, Pactenſis, & aliarum Eccleſiarum referens, perpetuò Avinellum, pro Avellino ponat, quod etiam à Roccho decepti fecere Ughellius (*a*) & alii.

Emma igitur Rogerii Boſſi, & Judithæ primæ eius uxoris filia, Civitatis Severianæ Comitiſſa, uti ſe inſcribit, & ut à Rogerio (*b*) rege, & à Friderico (*c*) ſecundo Imperatore nominatur, mortuo Radulpho conjuge, ejus pietatis hæres erga noſtrum Cænobium, Eccleſiam ingreſſa, per Evangeliorum librum, quem ſuis manibus ſuper Altare poſuit, omnia prædia, latifundia, Villas, Cellas, & obedientias à Monaſterio poſſeſſas confirmat. Præterea homines Monaſterio ſervientes tùm in Civitate Severiana, quam una ſecum à Marito conſtructam fuiſſe gloriatur, ubi & Cænobium ſitum dicit, tùm in Caſalibus, Caſtellis, vel Terris ejuſdem, & ubicumque reperiri contigerit, immunitate donat à quolibet pedagio, ſervitio, angaria, & jure plateæ; rerumque inventionem, & comprehenſionem, ſi quæ in Monaſterii fundis acciderit, in ejus beneficium cedere jubet. Eximit etiam à ſuà, ſuorumque ſucceſſorum juriſdictione quoslibet ad Monaſterium pertinentes, ſivè ji Monachi, ſivè Clerici, ſive laici extiterint, juſque tribuit Creſcentio Abbati, & Monachis affidandi homines, dummodò è re ſit Monaſterii: Subditis etiam indulget, ut ſine alicujus moleſtia, liberè *quicquid libuerit*, ſuorum Bonorum valeant Monachis elargiri. Demùm ſe, ſuoſque ſucceſſores, & Miniſtros obſtringit ad nunquam petendum ſervitium aliquod, vel adjutorium quovis ingenio excogitabile, præterquam ſi ſua ſponte aliquid Monachi velint tribuere. Cui quidem privilegio anno 1110. menſe Septembris Ind. tertia conſcripto, primus omnium ſubſcripſit Petrus Acheronti-

1110. Immunitatis Privilegium ſcribit Creſcentio Abbati.

 nus

(*a*) Tom. 9. in Scillacén.
(*b*) Regeſt. an. 1124., & 1146.
(*c*) Ibidem an. 1221.

Digitized by Google

nus Archipræſul, deinde Fuſco Obvianenſis, & Leobrandus Tricaricenſis Epiſcopi, poſteà ſignum conſpicitur Rogerii Civitatis Severianæ Domini, & filii Radulphi Machabæi, & Emmæ Comitiſſæ, poſt Rogerium ſubſcribit Stephanus quidam Præſul, Emma Comitiſſa, & plures ejus Milites, & ſeniores, & demùm Robertus Bottazzi Comitiſſæ Comeſtabulus.

1110. Petrus Archiepiſcopus Eccleſias Monaſterii confirmat.

Emmæ exemplo, vel etiam conſilio permotus Petrus Acheruntinus Archiepiſcopus, qui Arnaldo in Matheranæ quoque Cathedræ adminiſtratione ſuffectus fuerat, laicam immunitatem præcedenti Diplomate vel collatam, vel confirmatam, iiſdem diebus cumulavit Eccleſiaſtica libertate, ac privilegio, nedum enim omnes Umfredi, Goffridi, Radulphi, & Emmæ Comitiſſæ Civitatis Severianæ Dominæ, ipſius Monaſterii (ut ipſe dicit) Fundatricis, Donationes, & Bona, quæ tunc temporis Monaſterium intra fines ejus Diœceſeos poſſidebat, vel impoſterum eſſet acquiſiturum confirmat, verùm etiam Eccleſias cunctas recenſet, eaſque ab Epiſcoporum juriſdictione perpetuò immunes pronunciat, & pleno jure, ſicuti antea habebantur, Abbatis Creſcentii ſubdit dominio, eique, ſuiſque ſucceſſoribus Abbatiam ita confirmat, ut nullus Epiſcoporum, vel quæquis alia perſona audeat ejus terminos invadere, vel illam in partes diſtrahere, & in fruſta diſcerpere, ex una duas, vel plures inſtituendo. Idque ſub interminatione divini judicii, & Anathematis cenſura cautum voluit, dato ad hoc Diplomate anno eodem 1110. Ind. tertia menſe Septembris; undè liquet hoc privilegium à Petro fuiſſe collatum, non verò ab Arnaldo ejus Prædeceſſore, quamvis non Petri, ſed Arnaldi nomen in tranſumpto, quod originali deperdito, modò tantùm ſupereſt, legatur. Cùm enim hoc Diploma mortuum innuat Radulphum Machabæum, ejuſque Uxorem Emmam laudet Dominam Caveoſi, & gratias Monachis ab eadem collatas, quæ hoc primùm anno 1110., ut mox retuli, donatæ fuerant, recenſeat, exarari non potuit ab Arnaldo, qui Teſte Protoſpatha fatis jam ceſſerat anno 1101., Petrumque ſucceſſorem habuerat anno ſequen-

ſequenti 1102. menſe Maji, undè hic annus 1110. menſe Septembris, nonus erat Præſulatus Petri, non verò 29. Arnaldi, uti perperàm tranſumptum habet. Ex quo etiam apparet, privilegia à Radulpho Machabæo in gratiam Monaſterii Piſticienſis conſcripta, & ab Arnaldo ſubſcripta, non anno 1105., ut apud Ughellium (a) legitur, ſed vel antè, vel anno 1101., quo mortem obiit Arnaldus, fuiſſe conceſſa.

Verùm, ſi quis adhuc contendat, non Pĕtrum, ſed Arnaldum hujus Diplomatis auctorem fuiſſe, quia ejus meminit Andreas Archiepiſcopus in ſuo privilegio nobis anno 1220. indulto (quamvis etiam Andream ab hoc eodem exemplato deceptum crediderim), illud anno 1100. editum dicat oportet, non autem anteà, cum inibi privilegia laudentur Radulphi anno 1099. collata, nec poſteà, ut annus nimirum 29. Præſulatus Arnaldi in membrana expreſſus poſſit conſiſtere: legitur enim anno 1071. Kal. Octobris Arnaldus conſecrationi Eccleſiæ Caſinenſis ab Alexandro ſecundo celebratæ adfuiſſe, ejuſque Diplomati inter cæteros Præſules ſubſcripſiſſe. Porrò ſi anno 1100. annus 29. Præſulatus Arnaldi decurrebat, non potuit antè annum 1071. Epiſcopus inungi, quo vel ſolo argumento nihili facienda eſſet aſſerta quædam Alexandri ſecundi Bulla ab Acheruntinis conficta, & ab Ughellio edita (b), qua Archiepiſcopatus Arnaldò confirmatur anno 1068. Idibus Aprilis Ind. ſeſta, quamvis in illa plura alia reperiantur, quæ ſuppoſitionem ſapiunt. Quid namque inſulſius dici potuiſſet, ab Alexandro Pallium mitti Arnaldo, ſicuti *Anteceſſoribus* ſuis fuerat conceſſum, cum *Arnaldus ipſe*, vel Geraldus ejus proximus prædeceſſor primus fuerit Archiepiſcopus Acheruntiæ creatus; anno ſiquidem 1051. à Leone IX. Acheruntina (c) Eccleſia inter ſuffraganeas Archiepiſcopi Salernitani recenſetur, cum tunc Acheruntinæ ſederet Godericus ſecundus, quem Giraldus excepit.

*Aliqui Arnaldo hoc Privilegium tribuunt.*

Deindè quo pacto Alexander ſecundus Oppida Montis

*Bullæ Alexandri ſecundi falſitas urgetur.*

F 2 Mu-

(a) Tom.7. in Acherunt.
(b) Tom.7. in Acherunt.
(c) Apud Baronium.

Digitized by Google

Muri, & Armenti poterat anno 1068. Arnaldo confirmare, uti ab eo jam poſſeſſa, quæ à Roberto Caveoſano Comite illorum oppidorum Domino eodem anno Epiſcopo Tricaricenſi, à quo etiam nunc tenentur, donata fuere, quarum donationum exempla ipſemet Ughellius (*a*) retulit. Prætereà quis non miretur inconcinnam dictæ Bullæ dictionem, & ſtructuram, cum Arnaldo jam Archiepiſcopo Archiepiſcopatum confirmet, *Cum omnibus* (verba ſunt prætenſæ Bullæ) *Parochiis ſuis, Civitatibus quinque, videlicet, Venuſio, Monte Milone, Potenza, Tulba, Tricarico, Monte Piloſo, Gravina, Mathera, Oblano, Turri, Turſio, Luſiniano, S. Quirico, Virollo, cum Caſtellis, Villis, Monaſteriis, & plebibus &c.*, ubi inter quinque Civitates, Mons Milo, & Tulbium Pagi recenſentur, & inter Pagos collocantur Mathera, Gravina, & Turſium Urbes, & quod mirùm, ignobilibus quibuſdam locis enumeratis, præcipua, & nobiliora loca reticentur antiquæ Diæceſis Matheranæ, & Acheruntinæ, quæ à Sacro Rotæ Auditorio anno 1597. recenſita fuerunt.

Bullæ hujus demùm ſuppoſitio redarguitur ex eo, quod data dicatur anno 1068. per manus Petri S. R. E. Subdiaconi, ac Bibliothecarii, qui tamen ab anno 1062. erat Presbyter Cardinalis; ut ex Bulla Alexandri ſecundi habetur data Lucæ anno ſecundo Pontificatus, nempè anno 1062., quamvis in exemplato pro anno ſecundo irrepſerit annus duodecimus, quod in margine notat Cherubinus (*b*) Laertius. Sed quicumque tandem noſtri hujus Diplomatis Auctor fuerit, ſivè Arnaldus, ſivè Petrus, parum intereſt, cum illius exemplatum tantùm ſuperſit, non autem originalis pergamena, quæ omne dubium certè diſcuteret. Satiùs igitur erit ad alia privilegia ab Emma Comitiſſa Monaſterio indulta calamum vertere.

XIX. Jus Nundinarum Emma largitur Creſcentio.

Et quidem omnimoda immunitate donatis hominibus Monaſterio inſervientibus, quod Emma recitato ſuperiùs Diplomate fecerat, debuit Monaſterium ipſum ampliori dignitate, honoriſque prærogativa inſigniri, quod locupletiſſi-

(*a*) In Tricaricen. to. 7.

(*b*) Bullar. Rom. to. I. Edit. Rom. 1617.

tiſſimè (*a*) anno 1115. menſe Martii Ind. octava eadem Comitiſſa præſtitit, tribuens Creſcentio Abbati, ejuſque Monachis in perpetuum ſingulis annis poteſtatem inſtituendi Forum, & Nundinas ab omni onere pro ementibus, & vendentibus immunes, per decem dies continuos, nempè à Kal. ad ſexto Idus Maji, cum illis diebus S. Michaelis Archangeli memoria, magna Populorum frequentia Caveoſi celebraretur. Per illud etiam decem dierum ſpatium exercitium indulſit civilis juriſdictionis, ut nempè Monaſterii Abbas cognoſceret, juſque diceret in omnibus cauſis civilibus, quæ ad Judicis ordinarii Tribunal debuiſſent deferri, quam juriſdictionem pro civilibus cauſis ab Emma conceſſam, Federicus Aragonius, qui deinde Rex fuit Neapolitanus, ad cauſas criminales, & mixtas (*b*) extendit, cum poteſtate decernendi ultimum ſupplicicium, & faciendi quicquid ipſi facere licuiſſet. Hujuſque ampliſſimæ juriſdictionis per totum Caveoſanum diſtrictum Judices Vicarios Monaſterium ſingulis annis inſtituit (quos Nundinarum Magiſtros vocant), & jus ipſi dicunt in omnibus cauſis mixti, & meri Imperii à Dominica, quæ proximè Feſtum Dedicationis S. Michaelis Archangeli præcedit, per decem continuos dies (ad quindecim Conſtantia (*c*) de Avalos protraxerat, ſine regiæ tamen Majeſtatis aſſenſu) tranſlatis Nundinis à menſe Maji ad menſem Septembris. Et ad hanc plenariam Juriſdictionem denotandam jure meritò Patres Caveoſani in Monaſterii inſignibus, quæ ſunt Lances aureæ gladio itidem aureo in parmula cærulea infixæ, vel aurea S. Michaelis Imago in eodem ſolo cæruleo, Coronam quandoque Comitalem non autem *Pedum*, & Mitram, vel Pileum ſolent exprimere. Hujus autem ab Emma conceſſi privilegii membrana ſignata fuit à Petro Acheruntino Archiepiſcopo, & à Guidone Epiſcopo Gravinenſi, qui jam pridem dedicationi Eccleſiæ hujus Cenobii interfuerat, & paulò poſt anno nempè 1123. S. Gerardi Epiſcopi (*d*) Potentini Apotheo-

(*a*) In Appendice tom. 5. Annal. Benedict. n. 52.

(*b*) Regeſt. 1488.

(*c*) Ibidem an. 1530.

(*d*) Vita S. Gerardi apud Ughell. tom. 7. in Potentinis.

theoſim cum præfato Petro Acheruntino , & cum Leone Grumentino Epiſcopo promulgavit . Subſcripſit etiam Gaudius Abbas Piſticii , Emma Comitiſſa , ejuſque Filii Rogerius Machabæus , & Adelaſia , & tres alii .

Gaudius Piſticii Abbas. Gaudius autem Abbas ille idem eſt , qui anno 1133. à Rogerio Rege pro ſuo S. Mariæ Monaſterio præceptum ( a ) obtinuit , quo omnia rata habentur , quæ Radulphus Machabæus Comes Civitatis Severianæ , Piſticii , & Appii anno 1100. , & 1101. fuerat largitus , & plura alia recenſentur , quæ Rex ipſe immunia eſſe juſſit ab omni tributo , & permiſit , ut Piſticienſe Monaſterium poſſet Vaſſallos congregare ad Caſale S. Angeli de Avena incolendum , tum ex locis demanii regii , tum ex Terris Comitum , & Baronum ; Jus quoque indulſit paſcua locandi , ab animalibus exterorum paſcenda , & quicquid liberet , peragendi , ſubditis demùm ejuſdem Monaſterii prædictum Caſale incolentibus omnia remiſit gravamina , eoſque immunes juſſit à Comitum , & Baronum moleſtiis , *quas* ( verba ſunt Rogerii ) *ji ſuperſtitiosè facere ſolent contra Impotentes propter eorum potentiam* .

Creſcentio Guarinus Abbas ſuffi. citur. Hiſce diebus è vivis abſceſſit Creſcentius Abbas , qui ob eximiam vitæ ſanctimoniam , & ob inſignem benevolentiam , qua eum complectebantur Radulphus Machabæus, & Uxor Emma , nedùm monaſticam vivendi methodum ad Regulæ præſcriptum ſummoperè promoverat , ſed etiam in domeſticis fortunis augendis , & in Monaſterii honore, ac dignitate procuranda ſatis utilem operam navarat ; ſtatim verò Monachorum ſuffragio Guarinus ſuffectus eſt , impigri vir ingenii , & qualem tempora mox conſecutura , tot dominationum viciſſitudinibus obnoxia requirebant. ea enim , qua pollebat , morum facilitate , & ingenuo animi candore omnes iſtarum Regionum Regulos ſibi devinciens , nedùm florentem Cœnobii ſtatum firmavit , verum etiam eximiè cumulavit , ob ampliſſimas potiſſimum ab Emma , ejuſque filia Juditha donationes liberali manu collatas .

1159. Cui Emma Paſſavanti Caſtrum donat. Harum autem prima fuit de quodam Caſtro Paſſavanti

( a ) Tabul. S. Laurentii Padulæ.

Digitized by Google

vanti dicto, quod ab Umfredo paucis ante annis conſtructum, & Bernardo Paſſavanti (a) conceſſum, Radulphius Machabæus ejus filius à Roberto Giguriо, à quo tunc poſſidebatur, vindicaverat. Hoc igitur Paſſavanti Caſtrum cum omnibus ſuis finibus Guarinus Abbas reliquis Monaſterii Bonis adjecit anno 1119. menſe Julii Beneficio Emmæ, & Rogerii Machabæi ejus filii, qui poteſtatem etiam fecere villicos undique convocandi ad ejuſdem Caſtri incolatum promovendum. Nec illorum pietas hic ſubſtitit, plura enim alia non levis momenti in eodem Diplomate indulta ſunt, dimidium nempè reddituum ex jure Plateæ, Portorii, & aliorum vectigalium Civitatis S. Trinitatis, quæ modo Turris Maris dicta, quondam Metapontum (b) vocabatur, & dimidium etiam piſcationis Maris, Fluminum, & Lacuum, & eorum, quæ fortè ex naufragio alicujus Navis, ex Portu Maris, & Fluminum, ex inventione ſervi, venatione, & cujuslibet alterius rei comprehenſione obvenire poterat: conceſſum eſt præterea dimidium Terratici, quod Curiæ pendebatur ex Prædiis Baſentum inter, ac Salandram poſitis, quæ modò dicuntur *la Macchia*, & dimidium Prædiorum, quæ à Baſento ad Bradanum uſque excurrunt, quæque nunc vulgò audiunt *Turris Maris*, dimidiumque ſalinæ. Donatus quoque fuit Villicus quidam, Saſſo nomine cum omnibus ſuis Bonis, & facta eſt Monaſterio poteſtas conducendi operarios ex Civitate Severiana, quocumque luberet, & à ſuis hominibus exigendi quicquid ab jiſdem jure Plateæ foret Curiæ penſitandum. Poſtremò Emma, & Rogerius ſe, ſuoſque *hæredes* obſtrinxere ad integras decimas Monaſterio ſolvendas de cunctis bonis, quæ in Caſtro S. Nicandri poſſidebant, & ad alendum propriis expenſis Cappellanum, quem Monaſterium deſtinaſſet ad ſacra in dicto S. Nicandri Caſtello peragenda.

Et dimidium redituum Turris Maris.

Et Saſſonem villicum, & decimas Santi Nicandri.

Poſſidet autem etiam nunc Monaſterium præfatum Paſſavanti Caſtrum, licèt dirutum cum ampliſſimo latifundio, & cum ſylva prægrandibus quercubus, ac ilicibus referta, & inibi antiqua extat Eccleſia, noſtris diebus, fati-

Eccleſia S. Mariæ de Veterano.

(a) Regeſt. 1093. (b) Regeſt. 1099., & 1212.

fatiſcente præ vetuſtate lacunari, concamerata, ſub invocatione S. Mariæ de Veterano, magna finitimorum Populorum frequentia exculta, ad quam ſolemnis Cleri, populique Caveoſani ſupplicatio bis in anno inſtituitur in Feſto nativitatis deiparæ Virginis, & diebus Paſchæ ſacris, quamvis Caveoſo ultrà ſeptem paſſuum millia diſtet. Dictam autem crediderim hanc Eccleſiam S. Mariæ de Veterano à loco, qui Veteranus nuncupabatur, inter fines enim Caſtri Paſſavanti S. Vitus Veteranus recenſetur in hoc Emmæ, & Rogerii Machabæi Diplomate, cui præter paucos, alii omnes illi ſubſcripſere, qui præcedens privilegium comprobaverant.

Melitenſium Militum origo aperitur.

Sequenti menſe Auguſti aliud Diploma dedit illuſtris Comitiſſa cum ſuo filio Rogerio Machabæo, ut Monaſterii conſuleret indemnitati; quod quia ſummoperè conducit ad hiſtoriam equitum Melitenſium illuſtrandam, non gravabor à primis Cunabulis, tàm præclaræ Religionis originem repetere, quæ tantundem lucis, veluti fœnore facto, domeſticis noſtris documentis rependet.

Cum ſacra Hieroſolymorum Civitas immani Sarracenorum jugo premeretur, & nullum noſtratibus Chriſti Domini Sepulchrum inviſentibus pateret publicum, quo confugerent, diverſorium, quidam pietate màgis, quàm nomine celebres Mercatores Amalphitani circa dimidium undecimi (a) ſæculi, ab Ægyptio Sultano impetrata facultate, duo propè Eccleſiam Chriſti reſurgentis excitarunt Monaſteria, Mulierum alterum, alterum virorum, ad quod incolendum, Monachos Benedictinos ex Italia, & ut aliqui aſſerunt (b) ex Monaſterio Cavenſi Amalphitanæ Civitati contermino advocavere, ut inibi hoſpitio Peregrinos exciperent, eoſque chriſtiana charitate foverent. Verùm, quia Peregrinorum frequentiæ anguſta erant loca conſtructa, nec infirmi, ut par erat, valetudinarium à cæteris locis ſecretum haberent, opus fuit non longè à Monaſteriis pone Calvarium Montem, Hoſpitale conſtruere cum ædicula ſub invocatione S. Joannis Baptiſtæ, cui Rector deſtinabatur ab Abbate S. Mariæ in Latina (id nomen

(a) Boſius lib. 1. Hiſtor. Meliten. (b) Wion. lib. 1. cap. 96.

Digitized by Google

men erat Monaſterio virorum; cum Ginicæum Sanctæ Mariæ Magdalenæ fuiſſet dicatum. Capta demùm à Cruceſignatis ſæculo undecimo jam ferè expleto, anno videlicet 1099. Idibus Julii die veneris circa horam nonam Civitate Hieruſalem, Godefridus Bulionius in Regem poſt octiduum inunctus, ſtatim ad ſacrum Hoſpitale inviſendum, cui ſummam pietatis famam Fratrum Charitas, & Gerardi Rectoris eximia probitas conciliaverant, ſe direxit; illudque pluribus donis cumulavit, privilegiumque conceſſit, ut Noſocomio omnia Bona addicerentur, quorum nullus legitimus hæres extaret. Poſt annum verò non adhuc expletum, ſublato è vivis Godefrido, Balduinus Frater ſufficitur, quo regnante Domus Hoſpitalis nedùm à Paſchali ſecundo immunitate donata, ſed etiam plurimum locupletata fuit largitionibus Principum, tùm orientis, tùm occidentis, quos inter nonnulli fuere Apuliæ Dynaſtæ, cum in prænunciato Paſchalis privilegio anno 1113. expedito, multa recenſeantur à Domo Hoſpitali poſſeſſa Barii, Tarenti, & in aliis hujus Regionis locis.

Quibus latifundium largitur Emma.

Horum Principum exemplo excitata Emma Comitiſſa, ad omnigenæ pietatis opera, ſuopte ingenio propenſa, cum filio Rogerio Machabæo Ugonem Sacræ Domus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Præceptorem, qui per ea tempora in Apulia verſabatur, ampliſſima donatione muneravit. Ab iſto namque in Caſtro Civitatis S. Trinitatis, ubi tunc reſidebat, conventa, & rogata, ut Peregrinorum commodo proſpicere dignaretur, latifundium quoddam concedendo ad Baſenti Flumen poſitum, & Caſali Avinellæ finitimum, ejus ſupplicationibus benignè annuit. Verùm ne Caveoſanum Cænobium, quod redditum omnium Civitatis S. Trinitatis medietatem ex ejuſdem Comitiſſæ, & Radulphi Machabæi liberalitate jam poſſidebat, præfati latifundii diſtractione jacturam incurreret, Guarinum Venerabilem Abbatem Comitiſſa acceſſiri juſſit, eique *ob prædictæ Domus hoſpitalis reverentiam* à ſuo jure decedere perſuaſit. Guarinus autem ea, qua decuit animi promptitudine, Comitiſſæ votis annuens, per Sacrum Evangeliorum librum ſolemniter Ugoni tradi-

1119. Cum conſenſu Guarini Abbatis, cui alia plura donat.

G dit

dit præfatum fundum, qui à Monaſterio, & ab Emma inſimul tenebatur, perpetuò poſſidendum. Emma verò ad damnum indè Monaſterio obveniens ſarciendum, eidem Guarino latifundium attribuit Bradano contiguum, & S. Salvatoris finibus conterminum, quin etiam auctarii cauſa Sacrum Evangeliorum Codicem adjecit argenteis laminis, & auro obductum, & Ugonem, ejuſque ſucceſſores adegit ad annuam præſtationem *duorum Juvencorum, vel unius pulchri Equi*, die octavo Maji S. Michaelis Feſto perpetuò faciendam, pœna caducitatis adjecta, ſi contrarium quandoque facere præſumpſiſſent. Et quidem hanc penſionem, quæ (a) Martini Abbatis tempore adhuc perſolvebatur, Ugho libens pollicitus eſt, oſtenſis litteris patentibus ſui Conventus, poteſtatem largientibus ad contractus hujuſmodi ſanciendos.

Syllabus Rectorum Hoſpitalis ſuppletur. Et hinc videas, Gerardo Sacræ Domus Hoſpitalis Rectori, qui obijt anno 1118., non ſuffectum fuiſſe Raymundum (b) de Podio Delphinatem, ſed præfatum Ugonem ab Emma latifundio donatum, quo paulòpoſt mortuo, ſublectus fuit anno 1120. quidam Rogerius, uti aliqui colligunt ex quadam donatione Actonis Comitis Samnii, & huic tandem Raymundus de Podio ſucceſſit ante annum 1130., qui Sacri Xenodochii ſodalitium in meliorem formam redacturus, omnium primus generalia Comitia Hieroſolymis coegit, in quibus ad tria vota Fratres Hoſpitalarios ſub S. Auguſtini Regula adduxit, peculiaremque habitum deſignavit; Pallium nempè nigri coloris Cruce alba octangulari ornatum. Et tùnc primò Fratres, qui Hoſpitum, Infirmorumque ſervitio operam navarant, a morum uſum cum Hoſpitalis ſervitio, chriſtianæque charitatis operibus conjungentes, Domi Xenodochio, & Noſocomio inſerviebant, foris autem Chriſtianorum fines armis ſtrenuè tutabantur. His autem ſalutaribus Inſtitutis ab Innocentio ſecundo laudatis, dato ad id Diplomate anno 1130., Religio, quæ tantùm Hoſpitalaria fuerat, evaſit etiam militaris, & equites vulgò hoſpitalarii audiebant, qui deindè Hieroſolymis, totaque Pale-

(a) Regeſt. anno 1250. (b) Boſius, & Tyrius lib. 18. cap. 5.

Palæſtina ſeriùs temporibus ſecedere coacti, ob Chriſtianorum dominium illis in Regionibus penitus interciſum, Rhodum Inſulam à Turcarum manibus vindicatam anno 1309. inhabitarunt, ſed hac Inſula iterum annó 1523. antiquo Tyranno ſervire coacta, Melitam à Carlo V. donatam tenuere, unde veluti ex ſpecula Navigantium proſpiciunt ſecuritati, hoſtileſque comprimunt incurſus Pyratarum.

Ex hoc igitur Emmæ Diplomate non ſolum ſupplendus eſt ſyllabus Magiſtrorum S. Hoſpitalis, cum eorum albo nullus Hiſtoricorum poſt Gerardum adſcripſerit Ughonem, decepti forſan à Tyrio (*a*), qui quamvis dixerit Gerardo ſucceſſiſſe Raymundum, nunquam tamen ei proximè ſuffectum recenſuit, ſed etiam elicitur, Magiſtri, ſeù Præceptoris Nomenclaturam non fuiſſe primò à Raymundo Podienſi uſurpatam, ut autumat (*b*) Boſius. Nec quis regerat, ea tempeſtate celebrem etiam fuiſſe Ugonem quemdam de Paganis, qui cum Caufrido à S. Audomaro fundamenta jecit ordinis equeſtris Templariorum, cum Emma nequiverit huic Ugoni Diploma concedere, qui poſt annum 1119. pium arripuit Inſtitutum à Mari Hyeroſolymam uſque ſociandi Peregrinos, & novem integris annis in ſæculari habitu degens, ſocios ſolis Eleemoſinis pavit, uſque dum à Balduino Rege admiſſus eſt cum ſuis ad Palatium regium inhabitandum, poſitum ad portam auſtralem Templi Salomonici, ex quo Templarii dicti ſunt, numquam verò Hoſpitalarii. *Qui cum Templariis non ſunt con fundendi.*

Uberiori calamo hoc Diploma neceſſitate cogente explicui, eoque lubentiùs in ejus enarratione ſum immoratus, quod omnium poſtremum ſit ex ijs, quæ munifica manu Cœnobio Emma conceſſit, & ægrè oratio divelli poteſt ab eorum recordatione Beneficiorum, quorum præſentiſſimam adhuc experimur utilitatem. *Emma moritur.*

Quando verò Emma Comitiſſa fato ceſſerit, reſcire non potui. Id compertum eſt, eam ad annum 1124. non perveniſſe, cum Rogerius Siciliæ Comes eo anno rata habuerit, *quæ beatæ recordationis* (verba ſunt Rogerii) *Et Rogerius Filius.*



(*a*) Lib. 18. cap. 5. (*b*) Lib. 1.

*Domina Emma Venerabilis ſoror mea* Monaſterio conceſſit. Nec Rogerius Machabæus hæc tempora eſt prætergreſſus, nam eodem anno 1124. Conſtantia Princeps Tarentina, Domina Turris Maris facta, Rogerium Machabæum, ſuum Prædeceſſorem appellat.

Caſtrum Gigurii Juditha, & Rogerius de Montibus largiuntur.

Juditha Emmæ, & Radulphi Machabæi filia, Parentum pietatem, ac munificentiam imitata, ſimul cum Rogerio de Montibus conjuge, Pomarici Domino, quod oppidum dotis titulo à Radulpho forſan habuerat, non ſolum prædia, & cætera, quæ Monaſterium in Terra prædicta Pomarici poſſidebat, rata, & firma eſſe juſſit, verum etiam antiquas donationes locupletiſſimè cumulavit largitione Caſtri Gigurii cum omnibus ad illud ſpectantibus: Quod Caſtrum diù Incolis frequens fuit, cum anno 1378. legatur quidam Gigurienſis ſubſcripſiſſe Inſtrumento reintegrationis S. Salvatoris, & adhuc extant (a) ſtatuta edita anno 1505. ab Abbate Joanne Franciſco Bobienſi pro revocandis Civibus in Caſtrum Gigurii, qui Bellorum tumultu prioribus annis Natale ſolum vertere compulſi, Pomaricum vicinum oppidum conceſſerant. Qui quia ſua animalia adhuc ad illius Caſtri paſcua pabulatum emittebant, hinc factum eſt temporis decurſu, ut etiam Pomaricani ob noſtrorum Colonorum incuriam promiſcuum illorum paſcuorum uſum cum Monaſterio, antiquo Caſtri Domino uſurpaverint; unde tot lites, & jurgia prodiere, ad quæ compeſcenda, cum plures amicabiles contractus initi, & Judicum latæ ſententiæ impares fuerint, tandem noſtris diebus anno videlicet 1720. certis ſub legibus ea fuerunt compoſita. Rogerius verò de Montibus Judithæ Maritus, Comeſtabulus fuit (b) Bohamundi junioris Antiocheni, & Tarentini Principis, nempè (ut ea tempora ferebant) præcipuus copiarum Dux, qualis etiam erat Robertus Bottazzi Comeſtabularius Emmæ, qui in omnibus Comitiſſæ Diplomatibus ſuæ manus etiam ſignum appoſuit.

Adelacia Emmæ Filia in Sicilia nupſit.

Adelacia demùm Judithæ ſoror, quæ duas donationes ab Emma Matre Monaſterio collatas ſuo calculo approbavit

(a) Regeſt. anno 1505.

(b) Ughell. in Tarentinis.

probavit, mortuis Parentibus, ac Fratre, in Siciliam à Rogerio Avunculo, qui Caveoli fuerat potitus, circa annum 1124. advecta; nuptui data eſt Raynaldo Riccardi de Aquila (a) Filio, dotiſque titulo, vel etiam jure paterno poſſedit ampliſſimos Comitatus Paternionis, Adernionis, Colliſani, Squillacii, ſeu Scyllacii, & aliorum oppidorum, ubi plura excitavit ſuæ pietatis, quam in paterna domo hauſerat, monumenta. Horum præcipuum fuit Monaſterium S. Mariæ Gratiarum Adernione conſtructum anno 1134., quod Catanenſi Monaſterio S. Nicolai de Arenis, modò Congregationis Caſinenſis, attribuit, & aliud S. Mariæ de Robore (b) groſſo; uti colligitur ex Diplomate die ſecunda Januarii anni 1156. conſcripto, ubi inter cætera hæc habentur. *Ego Adelicia Neptis D. Rogerii Regis, & filia Comitis Radulphi Machabæi de Monte-Caveoſo dono &c.* & paulò poſt: *Hoc autem facio pro Anima incliti Comitis Rogerii Avi mei, & pro Anima Sanctiſſimi Rogerii Regis Avunculi mei.* Et Martialis Catanenſis Epiſcopus anno 1358., non verò ut perperam cenſuit Groſſius (c) anno 1338. dicit: *Per illuſtrem D. Adeliciam quondam Rogerii Regis nepotem, & filiam quondam Comitis Radulphi Machabæi de Monte-Caveoſo.* Hinc jure, meritò Fridericus ſecundus Imperator eam dicit conſanguineam in privilegio Eccleſiæ Catanenſi, tunc Monachorum, modò Cathedrali conceſſo (d) anno 1208. *Confirmamus* (inquit) *jura S. Mariæ de Robore groſſo, juxtà privilegium factum à Comitiſſa quondam Adelicia conſanguinea noſtra, quæ Comitatum Adernionis eo tempore de acquiſitione paterna poſſidebat.* Ex quibus redarguendus eſt Rocchus Pyrrhus, dum noſtram Adelaciam, Judithæ Uxoris Raynulphi Comitis Avellini, non autem Emmæ conjugis Radulphi Machabæi filiam fuiſſe narrat. Vixit autem Adelacia, tùm Rogerio Regi, tùm ejus filio Vuillemo ſummopere accepta. Et tandem relictis filiis, præter Mathildem, Adamo Avellini, & Simone Buteræ Comitibus, Caltanixettæ fato ceſſit, ubi

anno

(a) Rocchus in Chronol. fol. 16.
(b) Tabul. Monaſt. Catanen.
(c) In notitia Catanen. fol. 104.
(d) Regeſt. Catanen. Monaſt.

anno 1600. ejus corpus fuit inventum.

Rogerius Emmæ Frater Caveoſi potitur.

Sublata Emma Comitiſſa, ejuſque Filio Rogerio etiam acerba morte è vivis erepto poſt annum 1119., Caveoſanus Comitatus, præteritis, ac contemptis Radulphi Machabæi filiabus, & Fratribus Roberto, & Guidelmo, nec non Guidelmi filio Roberto, medietatis Nohæ Domino, cæteriſque ejuſdem Familiæ, a Machabeæ ſtirpis Dominatu cecidit, & in fruſta diviſus, aliis Principibus ſervire coactus eſt, quæ enim Mari Jonio adjacebant in Principum Tarentinorum manus devenere, Mons verò Caveoſus, & reliqua ejuſdem ditionis oppida occupata ſunt à Rogerio Emmæ Fratre, qui Siciliam Rogerii Boſſi Patris armis, ac ſtrenuitate acquiſitam, & Calabriæ non exiguam partem jure hæreditario tenebat. Hac autem inopina Machabæorum Procerum, qui tàm egregiè in Monaſterium erant affecti, calamitate perculſus Guarinus Abbas, & veritus, ac eadem ruina ſuum etiam Monaſterium opprimeretur, optimum duxit, quæ jam antiquorum Principum liberalitate donata fuerant, eorum, qui tunc dominabantur gratia firmari, & protectione muniri. Rogerium igitur Caveoſi tunc agentem adiit, ſupplicique porrecto libello precatus eſt, ut ſuo Diplomate laudare dignaretur omnium Bonorum, ac jurium largitiones, quas Emma Comitiſſa ejus ſoror recens indulſerat, vel ab aliis factas firmaverat. Rogerius autem Abbatis, Monachorum probitate, ac Religione delectatus, & laudabile eorum vivendi inſtitutum conſpiciens, benignè Guarini poſtulatis annuit, & Diploma ſua manu ſignavit anno 1124. Ind. ſecunda, & poſt ipſum ſubſcripſit Vuillelmus Meſſanenſis Archiepiſcopus, qui eodem hoc anno Eccleſiam S. Annæ (a) propè Turturetum in Sicilia conſecravit. Ex quo ſuſpicor, Caveoſi quidem hoc anno, vel quod magis vero ſimile eſt, biennio ante à Rogerio admiſſas Guarini preces, Diploma verò exaratum fuiſſe poſt ejus reditum in Siciliam, quo enim pacto nemo ex Apuliæ proceribus, quorum plures tunc Caveoſi cum ipſo erant, ſuum nomen appoſuit? nam ſolùm teſtimonium adhibetur præfati Vuillelmi Meſſanenſis, & Simeo-

1124. Et Monaſterio Privilegium confirmat.

(a) Pyrrhus in notitia Meſſanen.

Digitized by Google

meonis Archiepiſcopi Cuſentini, & duorum, qui ſe græcè ſubſcripſere.

Et quidem hic Simeon ab Ughellio in Syllabo Præſulum Cuſentinorum præteritur, cum Radulphum, ſeù Arnulphum ab anno 1092. ultra annum 1150., Cuſentiæ ſediſſe dicat. Sed ſanè fallitur, tùm quia Radulphus, qui Cuſentinus Archiepiſcopus erat anno 1092., alter prorsùs fuit ab Arnulpho natione calabro, & Eccleſiæ Antiochenſis Decano, qui non longè poſt annum 1136. Cuſentina Infula fuit redimitus, ut colligitur ex Tyrio apud Baronium, tum quia Radulphus non erat ſuperſtes anno 1129., quamvis Ughellius contrarium probare conetur ex quadam ejus donatione Monaſterio Caſinenſi facta (a) anno (ut ipſe autumat) 1127., & ex Chronico Maraldi à Pyrrho edito, in quo narratur, Radulphum Rogerii Coronationi interfuiſſe anno 1129. ſiquidem præfata donatio à Petro Diacono refertur ſub Odoriſio ſecundo, qui in Abbatem anno 1123. aſſumptus menſe Junii, anno 1126. inchoante in ordinem redactus eſt ab Honorio ſecundo. Illa igitur donatio anno 1127. fieri non potuit; quando *Nicolaus* (b) Tuſculanus, non autem Odoriſius Caſini præſidebat. Et miror, ab *Ughellio* (c) oblationem *Auguſtini Narnienſis* Epiſcopi Caſinenſi Monaſterio factam conſignari anno 1125., quam Petrus Diaconus poſt illam Radulphi recenſet. Minus efficit auctoritas *Chronici Maraldi*, ab eruditis omnibus pluribus ex capitibus *exploſi*, & quod *ipſemet* Ughellius ut ſuſpectæ fidei traducit. Radulphus igitur annum 1123. non exceſſit, vel principium ſequentis tantùm attigit, quando Monaſterio *Caſinenſi*, ejuſque Abbati *Odoriſio* munus obtulit, ſtatimque noſter Simeon hoc anno 1124. Archiepiſcopus ſucceſſit, qui Rogerianum Diploma ſua manu ſignavit. Simeoni verò forſan Arnulphus datus eſt ſucceſſor, & Arnulpho Riccardus, qui circa annum 1168. ipſo Ughellio teſte vivere deſiit.

Cui Simeon Archiepiſcopus Cuſentinus ſubſcribit.

Dicere etiam quis poterit, Simeonem aſſumptum fuiſſe in Cuſentinum Archiepiſcopum, quando Radulphus à Roge-

(a) Chron. lib. 4. cap. 87.
(b) Peregr. in ſerie Abb. Caſinen.
(c) Tom. 1. in Narnien.

Rogerio Siciliæ Comite propria ſede pulſus, monaſticum cucullum Caſini (a) ſuſceperat, eo autem ad ſuæ Eccleſiæ Regimen reſtituto, favore Vuillelmi Ducis anno 1114., adhuc Simeonem ejuſdem Cuſentinæ Cathedræ titulum retinuiſſe, exemplo in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & noſtris hiſce temporibus ſatis familiari.

1124. Conſtantia & Bohamundus Principes Tarentini Privilegium concedunt.

Porrò Guarinus Abbas, ut integram Monaſterio ſecuritatem in bonis, quæ jam poſſidebat, afferret, eodem anno 1124. à Conſtantia, & Bohamundo ejus filio Tarenti Dominis, & Antiochenis Principibus, quibus Civitas S. Trinitatis, & loca Maritima ditionis Caveoſanæ ceſſerant, favorabile impetravit reſcriptum (b), quo rata habentur, & perpetuò iterum poſſidenda conceduntur omnia ea, quæ in Civitate S. Trinitatis, ejuſque diſtrictu Radulphus, Emma, & Rogerius Machabæus munerati fuerant, dimidium nempè pedagii ex jure Plateæ, portorii, & aliorum redditnum dictæ Civitatis, dimidium etiam portus Bradani, & Baſenti, Salinæ, & Terratici ex latifundiis Bradanum inter, ac Salandram poſitis. Huicque Diplomati primus ſubſcripſit Raynaldus Tarentinus Præſul, ille idem, cui Radulphus Machabæus (c) Caſale donaverat S. Theodori, quod proindè de honore Montis Caveoſi dicitur fuiſſe (d) ab Henrico VI. anno 1196. Et hinc habetur, perperam ab Ughellio aſſeri Raynaldum obiiſſe circa annum 1119., eo ductus argumento, quod Joannes Juvenis (e) aſſeruerit ab anno 1107. ad annum 1119. extare de Raynaldo monumenta in Archivo Archiepiſcopali. Obiit igitur Raynaldus poſt annum quidem 1124., ſed ante annum 1126., (ut mox dicetur) eique ſuffectus fuit Gualterius, à Conſtantia pluribus muneribus, teſte ipſomet Ughellio, donatus, poſt Archiepiſcopum ſignaruiſt privilegium Conſtantia, & Bohamundus.

Conſtantia Bohamundi Uxor moritur.

Sanè Conſtantia Emmæ Comitiſſæ ætate ſuppar, & pietate æqualis, Philippo Francorum Rege, & Berta Filia Comitis Friſiæ, & Hollandiæ Parentibus nata, Ugoni [illegible] Tre-

(a) Chron. Caſinen. lib. 4. cap. 49.
(b) In Appendice to. 5. Annal. Mabill. num. 53.
(c) Archiv. Eccleſiæ Tarentinæ.
(d) Ughell. to. 9. in Tarentinis.
(e) Lib. 8. de Antiquit. Tarent.

Trecenſi Comiti primum nupſit, ſed ob conſanguinitatis impedimentum toro ſeparata, felici tandem conjugio (a) anno 1106. Bohamundo Viſcardi filio, Principi Antiochiæ, Tarenti, Barij, & aliorum locorum, copulata eſt, & Marito, cui filium æquivocum peperit, ſuperſtes, in fine ſequentis anni 1125. vivere deſiit, quod duo Diplomata (b) Monaſterio Carbonenſi indulta declarant, quorum primo expedito menſe Septembris anni 1115., quo Scanzanæ, & Policorii latifundia conceduntur, ſubſcripſit Conſtantia, & Bohamundus filius, alio verò menſe Januarii ſequentis anni 1126., Bohamundus jam defunctam dicit ſuam Matrem Conſtantiam, quæ Tarenti Eccleſiam S. Bartholomæi erexerat in ſacrum Parthenon ex conſenſu Raynaldi Archiepiſcopi, etiam tunc (ut ibi dicitur) mortui. Et hæc duo Diplomata, ſicut & illud Caveoſani Monaſterii, locum, ubi data ſunt, non exprimentia, ab uno, eodemque Notario Michaele exarata fuere, quamvis illa duo Carbonenſi græco Idiomate conſcripta ſint, & epocham referant non vulgarem Dionyſianam, ſed Conſtantinopolitanam, a Græcis vulgò uſurpatam, in qua annus Chriſti primus juxtà receptam à latinis Dionyſii Exiqui ſupputationem in annum Mundi 5508. incidit, ita ut primum Carbonenſe documentum editum dicatur anno 6633., alterum verò 6634.

Et Bohamundus ejus Filius.

Nec itidem Bohamundus Junior qui a Conſtantia Matre piè educatus in optimæ indolis Principem adoleverat, diu eidem ſuperfuit, Tarento enim, Bario, Hydrunto, aliiſque ſuæ ditionis Civitatibus in Apulia Romani Pontificis tutelæ commendatis, *Antiocheni Principatus* paterna virtute parti ſplendore allectus, Antiochiam profectus eſt, ubi Patris ſtrenuitatem pluribus contra Turchas fortibus geſtis expreſſit. Verùm ad quoddam Caſtrum recipiendum cum aliquando paucis comitatus accurriſſet, inopinato in inſidias lapſus, cervicibus abſciſſis, occubuit anno 1131.

Jam verò antè quadriennium, anno nempè 1127. Vuillelmus Apuliæ, & Calabriæ Dux, Rogerii Burſæ filius, cui



(a) S. Marta in Genealog. lib. 12. (b) Apud Santorium fol. 61. & 147.

Digitized by Google

cui anno 1111. in Ducatu ſucceſſerat, nullis liberis à Caitelgrima ſuſceptis obierat, in eo autem Roberti Viſcardi maſcula progenie extincta, ampliſſimi Ducatus hæres Rogerius Siciliæ Comes ſcribitur; qui moræ impatiens, claſſe inſtructa, è Sicilia ſolvit, Salernumque appellens, omnium conſenſu Princeps ſalutatur, deinde per Calabriæ, & Apuliæ Littora diſcurrens, Appulos ad Sacramentum ſibi dicendum compellit, captaque opportunitate abſentiæ Bohamundi ſecundi Antiocheni Principis, Tarentum, & Hydruntum expugnat, & Brundusii potitur, quod ditionis erat Tancredi de Converſano Gaufridi filii. Cum vero Caveoſum etiam divertiſſet, Guarinus Abbas rei benè gerendæ occaſionem nactus, cum pluribus Monachis comitatus

1127. Rogerius piſcandi jus indulget. adivit, ſupplex rogans, ut hominem aliquem Monaſterio donaret, quo uti poſſet ad piſcandum in Tarentino Freto. Rogerius autem gratè pieque poſtulata excipiens, Canerium Piſcatorem cum ſuis hæredibus, & familia ad piſcationis ſervitium perpetuò Monachis præſtandum addixit, dato ad hoc Diplomate, quod ſua manu, poſt Rogerium, ſignarunt Vuillelmus Archiepiſcopus Meſſanenſis, quem perperam (a) Rocchus Pyrrhus mortuum dicit anno præcedenti, Simeon Cuſentinus, & Petrus Acheruntinus, Leobrandus Epiſcopus Tricaricenſis, Stephanus Præſul, & alii, quos inter Goffridus etiam fuit Puliani.

Se Italiæ Ducem nominat. In hoc autem Diplomate Rogerius ſe Ducem nuncupat Siciliæ, & Italiæ, ideſt, Apuliæ, quamvis enim Italia totus ille tractus dicatur, qui ſupero, & infero mari, ac alpibus cingitur, nihilominus ex Græcorum illius ævi dialecto Italia dicebatur Apulia, quam ipſi à Longobardis Italis Principibus vindicaverant, ut diſertè Peregrinius (b) oſtendit.

Fit Dux Apuliæ. Hunc Ducis Apuliæ, & Siciliæ titulum, quem Rogerius hoc anno aſſumſerat, ægrè tulit Honorius Papa, quare icto fœdere cum Roberto Capuano Principe, Raynulpho Avellini Comite, Grimoaldo Barenſi, Goffrido Andrienſi, Alexandro Matheræ, Tancredo de Converſano, aliiſque Apuliæ Regulis, cum exercitu ad Bradanum,

in

(a) Sic. Sacra to. 1.

(b) In notis ad Fal. o len an. 1124.

in loco, qui Vadus Petroſus dicitur, conſedit. Verùm Rogerius in adverſa Bradani parte (a) conſiſtens, numquam pugnandi copiam fœderatis fecit; & clam Pontificem ſollicitabat, ut ſe in gratiam reciperet, quo factum eſt, ut ſenſim Pontificio exercitu diſſoluto, Honorius Beneventum ſe receperit, & cum Rogerium veſtigiis inſiſtentem haberet, Apuliæ Ducem, Appulis Dynaſtis incaſſum reclamantibus, per vexillum inſtituit ad Pontem Calori propè Beneventum (b) octava Aſſumptionis B. M. V. anno 1128.

Matthęus, & Angelus Barenſes Archiepiſcopi Privilegium concedunt.

In hoc armorum ſtrepitu, quo tota Apulia quatiebatur, otioſus Domi non perſtitit Guarinus Abbas, ſed ſui Monaſterii commodo ſedulus inſerviens, ea omnia, quæ ab ipſo Barii, & in Barenſi Diœceſi poſſidebantur, confirmari curavit à Matthæo Archiepiſcopo, qui ex Abbate S. Laurentii de Averſa Ordinis S. Benedicti ad Barenſem Cathedram evectus anno 1126., non adhuc expleto triennio vivere deſiit, eique ſtatim Angelus ſuffectus eſt, qui Prædeceſſoris pietatem æmulatus, primo ſui Pontificatus anno præfata Monaſterii jura ſuæ auctoritatis calculo firmavit. Hic autem cum animo eſſet inconſtans, & ambitionis æſtu laboraret, ad Rogerii gratiam aucupandam, pauló poſt Anacleto Pſeudo-Pontifici obedientiam profitetur, quo facto ab Innocentio ſecundo infulis privatur, & alter, Joannes nomine, Archiepiſcopus Barii decernitur. Tandem pace inter Innocentium, & Rogerium reſtaurata, Angelus, & Joannes ſceleſtiſſima capita, fœdus etiam percuſſere, & uterque ſimul ingenti ſcandalo, ſola Rogerii auctoritate, Eccleſiæ Barenſi præfuit uſque ad annum 1151., quo ab Eugenio tertio expulſi ſunt, ut indigni, & alter Joannes in eorum locum inſtitutus. Mirari autem ſubit, vigente in Eccleſia Barenſi tam gravi ſcandalo ſub Angelo, & Joanne, quos Procos dixeris, non Præſules, adhuc tamen fidelium pietatem non refriguiſſe, tunc enim præter alios, etiam Robertus (c) Dominus medietatis Nolæ, & filius Guidelmi Caveoſani plura ſuæ munificentiæ exhi-

 buit

(a) Celeſinus l.b.1.
(b) Falco.
(c) Ughel. in Baren.

buit in Eccleſiam S. Nicolai argumenta ?

Rogerius Rex proclamatur.

Sed ad Rogerium regrediamur, qui Ducis titulum faſtidiens ad regale faſtigium conſcendere meditabatur, nec in aula defuere, qui Principem ſuopte ingenio currentem impulerint, quare anno 1129. Idibus Maii Præſulibus, & Baronibus plaudentibus, & frequentiſſimo Populo felicia deprecante, Panormi Rex proclamatur, ſtatimque ad res Apuliæ componendas è Sicilia ſolvit, & Brunduſio incaſſum obſeſſo Montem Altum, & Rubium cepit, & cum armorum impetum ulteriùs eſſet prolaturus, Apuliæ Reguli, quos inter Grimoaldus Barii Princeps, Tancredus Converſani; Alexander Matheræ, & Goffridus Andriæ Comites, ac deinde Rayuulphus Avellini itidem Comes viribus impares, pacem ab eo impetrarunt, unde cum totam Apuliam Rogerius ſubegiſſet, Tarento ſolvens, Panormum regreſſus eſt. Verùm quia regales faſces ſine Romani Pontificis licentia aſſumſerat, nec ſperabat ab Innocentio ſecundo, qui Honorio ſecundo ſucceſſerat, id ſe impetraturum, Anacletum Pſeudopontificem contra Innocentium à Cardinalibus nonnullis ereatum, & ſibi arcta affinitate conjunctum, utpotè cujus ſororem duxerat, ſibi pro Pontifice habendum ſtatuit, quo beneficio Anacletus obſtrictus, Rogerium regem utriuſque Siciliæ (nomen tunc primo (a) invectum quamvis alii (b) aliter opinentur) quinto Kal. Octobris anni 1130. pronunciat, Cardinalemque Comitem in Siciliam legat, à quo Rogerius die Chriſto naſcenti ſacro in regem inungitur. Nec umquam adduci potuit, ut ab Anacleti obedientia diſcederet, & Innocentium, quem totus chriſtianus orbis Pontificem habebat, excoleret, nihili pendens ancipitem belli aleam, quam ſubire coactus eſt. Quamvis Brunduſium, quod Tancredi Converſanenſis (c) præſidio tenebatur, mari, terraque cinctum ſubegiſſet, Bariumque quindecim dierum obſidione expugnaſſet, capto Grimoaldo Principe cum uxore, & filiis, quos omnes vinculis onuſtos in Siciliam miſit, attamen ad Sarnum Fluvium in Picentinis octavo Kal. Auguſti

(a) Pyrrhus in Genealog.
(b) Giannatas. Hiſt. Neapol. in Ca. rolo primo.
(c) Falco ſub an. 1132.

guſti anni 1132. magna clade à Raynulpho Fœderatorum Duce affectus, fugam capeſſens, in Siciliam ad reparandas copias trajecit.

Præterea hoc eodem anno 1132. menſe Aprilis Guarinus Abbas confirmanda curavit ab Herberto Tricaricenſi Epiſcopo, qui in Ughelliano ſyllabo deſideratur, omnia jura, ac bona ad Eccleſias illas ſpectantia, quas Monaſterium ex Umfredi, & aliorum Principum munificentia poſſidebat, & etiam nunc tenet in Pagis Hoſtiliani, Ciriliani, & Gurgulionis Tricaricen. Diœceſis. Qui quidem Herbertus omnium earum Eccleſiarum juriſdictionem à ſe, ſuiſque ſucceſſoribus abdicans, in Guarinum, quem utilem, ac fidelem in multis fuerat expertus, & in Abbates pro tempore futuros tranſmiſit, ſpecialiter eorum bonorum memoriam ingerens, quæ Guidelmus Ciriliani Dominus (Umfredi certè Caveoſani filius) Eccleſiæ S. Nicolai Hoſtiliani largitus fuerat coram Petro Tricaricenſi Præſule ſuo Prædeceſſore, qui etiam in Ughelliano Indice hujus Inſtrumenti beneficio poterit adjungi. 1132. Herbertus Tricaricen. Epiſcopus Privilegium concedit.

Sequenti anno Rogerius maximo apparatu inſtructus, Pharo tranſmiſſo, in Apuliam deſcendit, quo audito Alexander Matheranus Comes, timore percitus, relicto Matheræ ad præſidium filio Loffrido, ad Raynulphum Avellini, Fœderatorum Ducem ſuppetias petiturus confugit. Sed cum Rogerius mira armorum felicitate omnia Matherani, & Andrienſis Comitatus oppida (a) ſubegiſſet, nempè Aquambellam, Coratum, Barulum, Minerbinum, Cryptolas, & plura alia, tandemque Matheram arctiſſima obſidione cinctam, cum Loffrido, ob Populi perfidiam, obtinuiſſet, Alexander animo dejectus, & nedum Comitatus, ſed etiam filii amiſſi dolore actus, in Dalmatiam abiit, ubi in latrones incidens, omnibuſque bonis ſpoliatus, Aulone in ſumma egeſtate vitam tranſegit, vel ut alii malunt (b) apud Raynulphum exul naturæ debitum perſolvit. Rogerius totam Apuliam ſubigit.

Rogerius hoc ſucceſſu elatus, Armentum, cui Robertus Alexandri itidem filius præſidebat, obſedit, oppidoque Pluresque Comites in Siciliam vinctos mittit.

(a) Celeſtinus lib.2. (b) Falco ad annum 1133.

doque in poteſtatem redacto, Robertum in Siciliam, quo Fratrem Loffridum tranſmiſerat, vinculis traditum miſit; quam fortunæ atrocitatem plures quoque alii Apuliæ Reguli ſubire coacti ſunt, quorum præcipui fuerunt, Goffridus Andrienſis, & Tancredus Converſani Comes, ille Anſæ, ubi Alexandri etiam Theſaurus cuſtodiebatur captus, iſte vero in oppido incluſus Montis Piloſi, (perperam Montem Petroſum (a) in Rogerii fide adhuc manentem dixit Ordericus) quo Matherâ confugerat, ſimul cum oppido, quod igni ſucceſum eſt, in victoris manus devenit. Eodemque impetu, captis Vigiliis, Tranoque obſeſſo, cujus turres ſubruit, Caſtrum in Barenſi Civitate ad Cives in officio continendos extruxit, deinde Trojam divertens in plures Caſales eam diſpeſcuit, Aſculoque potitus, Gravinam ſe contulit, ubi paululùm moratus, Salernum digreſſus eſt, gaudens totam Apuliam in poteſtatem feliciter redactam, Reguloſque præcipuos in Siciliam amandatos, ubi carceris ſqualore enecti ſunt. Et quidem horum loco plures ſibi fidos ſuffecit, vel etiam ſanguinis neceſſitudine conjunctos; novo tamen invecto jure, ut ipſi non ampliùs, quemadmodum antiqui Comites in allodium, ſed in feudum, & precario ſolum nomine ditionum ſuarum loca poſſiderent; hinc ceptum illud, communiter deindè in publicis documentis uſurpatum, & quod in conceſſione Roberti filii Guidelmi Machabæi anno 1137. factum legimus: *Robertus gratia Dei, & Sereniſſimi Domini Noſtri Rogerii dominator medietatis loci Nobæ*.

Gaufrido Caveoſum in feudum concedit.

Et hujus ſanè conditionis fuere tùm Gaufridus Caveoſi, & Converſani Comes, Rogerii Regis Pronepos, utpotè qui filius fuit Sylveſtri, & Nepos Gaufridi de Raguſia, quem Rogerio Boſſo Eremburga ſecunda ejus uxor pepererat, tùm Adam ejus Gener, cui Miterànum Comitatum largitus eſt, & cui, in Siciliam tranſfretaturus, exercitum commiſit, ut ab hoſtilibus incurſibus Campaniam defenderet, quam ſimul cum Samnio poſt Apuliam devictam Rogerius ſui juris fecerat, Sergiumque poſtremum Neapolitanorum Ducem adegerat, genibus flexis ſe

(a) Sub an. 1134.

Digitized by Google

ſe ligium profiteri. Et quamvis paulò poſt Lotharii Imperatoris impetum ſuſtinere nequiverit, iterumque fuerit profligatus à Raynulpho Avellini Comite, quem Innocentius ſecundus Apuliæ Ducem pronunciaverat, attamen poſt diſceſſum Imperatoris, & Raynulpho è vivis ſublato, amiſſa ſtatim recepit. Intereà cum Anacletus fatiſceſſiſſet, & Victor eidem ſubrogatus infulas ultrò reſignaſſet, Rogerius ſua ſponte faſces anno 1139. Innocentio, quem cuncti fideles Pontificem venerabantur, quemque captivum in caſtris habebat, ſubmiſit, & obedientiæ præſtitæ ampliſſimum præmium retulit, regium utriuſque Siciliæ titulum, ſub annuo tamen tributo ſexcentum ſchifatorum, genus monetæ tunc temporis uſu receptæ.

Ad hæc autem tempora Petrus Acheruntinus laudandæ à nobis memoriæ Præſul deceſſit, & Durandum ſortitus eſt anno 1142. ſucceſſorem, cui poſt novennium Robertus ab Eugenio tertio eſt ſubrogatus, & hic per viginti ſex annos Acheruntinam Cathedram moderatus eſt.

Ceterũ Rogerius pace firmata in toto eo terrarum tractu, quem antiqui Apuliam, nos Neapolitanum Regnum vocamus, in Siciliam transfretavit, & Panormi, tunc utriuſque Regni Principe Urbe, conſedit, quo Radulphus conſtantis Viri animi in Guarini jam demortui locum Abbas Caveoſi cooptatus, anno 1145. ſe tranſtulit, Regem ſupplicaturus pro facultate piſcandi, cujus precibus Rex annuens, Diploma menſe Julii conſcripſit, quo facta eſt Monaſterio poteſtas navim piſcatoriam in utroque Mari Tarentino detinendi ad Abbatis, Monachorumque menſam piſcibus inſtruendam, abſque ulla vectigalium ſolutione, & jus tributum eſt, hanc piſcandi facultatem cum eadem immunitate aliis locandi, & ſub haſta vendendi, hujuſque navis conductor ab omnis ſervitii præſtatione immunis jubetur, dummodo non ſit Regis Angarius, vel de genere Angariorum, qui nempè ſervitio perſonali præſtando forent obnoxii, & quos nunc Ballivos vocant, cujuſmodi erant decem homines Caveoſani ſingulis annis Monaſterio addicti, pro quibus modo cum Univerſitate tranſactum eſt in

1145. Jus piſcandi iterum confirmat Radulpho Abbati.

quin-

quinquaginta ſcuta annis ſingulis ſolvenda . In eodem præterea Diplomate Canerius Piſcator cum tota ſua familia jam Monaſterio donatus , iterum ejuſdem ſervitio addicitur . Porrò ad hanc uſque diem Monaſterium immunitate fruitur ſolvendi Tarentinis Quæſtoribus vectigal pro ea piſcium quantitate , quæ in Monachorum menſa inſumitur , reliqua verò temporum injuria amiſſa ſunt.

1146. Et Privilegium à ſe priùs collatum. Antequam vero Radulphus Panormo abſcederet , utillimum pro Monaſterio negotium peregit . Cum enim Rogerius ad regiæ ſuæ Potentiæ , ſupremique dominii oſtentationem legem ſanxiſſet , quæ in hæc verba , tùm alibi , tum in Diplomate Monaſterii S. Mariæ Calabrorum ( a ) refertur : *Omnia ſigilla Eccleſiarum , cæterorumque fidelium Regni noſtri renoventur , & oſtendantur in lucem , atque corroborentur ab altiſſima Majeſtate noſtra* : Abbas rei benè gerendæ opportunitate uſus , illud primo Privilegium confirmandum protulit , quod ipſemet Rogerius , dum Comes eſſet anno 1124. indulſerat , cumque res ex voto ceſſiſſet , impetrato à Rege Diplomate anno 1146. , menſe Septembris , ipſe fidentior factus , omnes alias membranas in medium attulit , quarum ſinceritate comperta , & præclarè laudata , aliud eodem anno Rogerianum reſcriptum obtinuit , quod omnium Privilegiorum Monaſterii Breviarium eſt locupletiſſimum . In eo enim omnia præcepta ab Umfredo , Radulpho , Emma , Rogerio de Montibus cum Juditha ejus uxore , & ab aliis conſcripta Rogerius rata eſſe jubet , ac firma , & omnia bona , & jura ad illum diem acquiſita , vel impoſterum juſto titulo acquirenda confirmat , & Monaſterio in perpetuum habenda indulget *ſinè ullo ſervitio* : Qua phraſi omne jus feudale excluditur , adeoque bona omnia , quæ Monaſterium retinet , non ſolum à primis largitoribus libera , & immunia conceſſa ſunt in allodium , ſed etiam ab eo , qui omnium primus in hiſce Regionibus Regni leges , & feudale onus invexit , hoc Diplomate nulli ſervituti obnoxia ſtatuuntur.

Et quæ ab aliis fuerant indulta.

Et hinc etiam factum eſt , numquam in feudorum Regeſtis ( Quinterniones Regiæ Cameræ vocant ) Caveoſani Cæno-

( a ) Ughell. tom. 7. in Archiep. S. Severinæ.

Cœnobii pagos, ac latifundia conſcripta fuiſſe; ut enim recentiora præteream, Catalogus (a) ſub Rege Vuillelmo ſecundo confectus, & ſub Roberto Andegavenſi repetitus, quamvis omnia Eccleſiarum, ac ſæcularium feuda recenſeat; nedum nobiliora, pro quibus plures milites debebantur, ſed etiam feuda pauperrima (ut ibi vocantur), quorum utiles Domini ſe ipſos in expeditione militari dare cogebantur, & ipſa quoque feuda, quæ tenuiſſimum tantùm fundum haberent, nihilominus quando feuda in eo deſcribuntur Caveoſani Comitatus, nullam ingerit mentionem de Abbate Caveoſano, & de Monaſterii latifundiis, ac Caſalibus. Porrò hæc feuda ad dictum Comitatum ſpectantia numerantur: S. Maurus feudum ſex militum, Salandra trium militum, Gurgulio duorum militum, Petra unius militis, Petrolla unius militis, Caſtellum Roccæ unius militis, Caſtellio unius militis, Mons Albanus quinque militum, Cirilianum unius militis, Cracum, & Gagnanum quatuor militum, Camarda, & Ferrazzanum duorum militum, Millia quatuor militum, Garaguſa unius militis, Pullanum unius militis, Acceptura unius militis cum dimidio, Pulianum unius militis, & feuda in Anglono ſex militum, in Pomarico trium militum, Turſo unius militis, & feudum Johi unius militis, quod tunc poſſidebat Perſilingus de Principatu Tarenti. Quare ex feudis Caveoſani Comitatus militum 46. $\frac{1}{2}$ cogebantur feudatarii in militari expeditione tribuere cum augmento milites 91., & ſervientes 108.

Cum ergo Rogerius, primus è Nortmannis Neapolitanus Rex, Bona Monaſterio in allodium jam conceſſa, ſine ullo ſervitio eſſe juſſerit, & alii Nortmanni idem ſervaverint, nec non Suevi, & Andegavenſes, ut ex præfato Catalogo liquet, & ex ſerie feudorum ſub Friderico ſecundo, Manfredo, & Carolo primo; derìdiculuſerit, qui Caveoſani Monaſterii Bona feudali ſervituti ſuppoſita ſomniarit. Nec minus eſſet ridendus, qui hoc Rogerianum Diploma, uti falſum traduceret, quod menſem, aut diem, quo ſcriptum fuit, non exprimat, cum innumera hujuſ- Cum immunitate à ſervitio feudali.



(a) Borrellus in Catalogo Baronum.

hujuſmodi antiqua monumenta extent apud (a) Authores, in quibus vel dies, vel menſis, aut annus, & locus reticetur. Immò in hiſce tribus Diplomatibus hoc biennio conceſſis, ne ipſe quidem Rogerius ſubſcripſit, quemadmodum nec ſubſcripſerat Privilegio Carbonenſi (b) anno 1132. dato, nec inſtrumento (c) in favorem S. Guillelmi Vercellenſis expedito.

Rogerius moritur. Cæterum Rogerius triumphatis omnibus Regulis, qui in eum auſi fuerant inſurgere, Sarraceniſque in ipſa Africa devictis, & ad annuum tributum pendendum adactis, anno 1145. in Emanuelem Græcorum Imperatorem, injurias Latinis Principibus ab eo illatas ulturus, armorum impetum vertit, & capta Corcyra, ac pluribus Peloponneſi clariſſimis Urbibus, in ipſam Imperii arcem Conſtantinopolim movit, cujus ſuburbia diripuit, & ab Imperialis Palatii Horto ſua manu poma decerpſit. Demùm ad pacis ſtudia converſus, anno 1154. Panormi diem ultimum clauſit, militari gloria, & civili prudentia, omnibuſque regiis dotibus clariſſimus.

Vuillelmus Malus ſubſequitur. Defuit tamen optimo Principi ad cumulum felicitatis tantæ virtutis hæres, acerbo ſiquidem funere ſublatis aliis filiis, quos inter Rogerius natu maximus præclariſſimis animi dotibus præditus eminebat, Vuillelmus primus à paterna virtute degener, Regnum obtinit, cui triſte Mali agnomen propria morum improbitas indidit, & in Adrianum Pontificem perfidia, quam deindè utcumque diluere ſtuduit non vulgaribus in Alexandrum Tertium officiis.

1160. Joan. Abbas Azoni Eccleſiam S. Martini concedit. Sexto hujus Vuillelmi anno Joannes primus Abbas Caveoſanus, qui Radulphi mortui ſedem conſcenderat, ex conſenſu Philippi Prioris, & totius Conventus, Eccleſiam S. Martini de Hoſtiliano dono dedit Azoni Canonico S. Sepulchri Hieroſolymitani, & Priori Eccleſiæ Baruli, qui ſe, ſuoſque ſucceſſores obſtrinxit ad ſolvendam die S. Michaeli ſacro, ſingulis annis libram unam incenſi. Et ut grati animi vicem Monaſterio rependeret, Caveoſanos Mona

(a) Ughell., Pyrrhus, Bullar.Caſin., Baronius &c.
(b) Santorius fo. 52.
(c) Collenuc. Hiſt. Neapol. lib. 3.

Digitized by Google

Monachos ad piorum operum communionem admittit, quæ in Eccleſia S. Sepulchri Hieroſolymis perpetuò facta fuerint, & iiſdem iter agentibus paratum Hoſpitium, ubicumque præfati ſodalitii domicilia paterent, pollicitus eſt. Ex hac autem liberali à Joanne primo facta conceſſione Eccleſiæ S. Martini, quam ad hanc uſque diem equites Hieroſolymitani poſſident, jurgium exarſit anno 1162, cum Epiſcopo Tricarici jura Monaſterii invadente, quod tandem communi amicorum conſilio, certis ſub conditionibus, fuit extinctum.

1162. Et jurgium componitur.

Hiſce etiam diebus Caveoſanus Comitatus ex Nortmannorum Gente, penes quam centum circiter annos ſteterat, dilapſus eſt, Loffridus enim, ſeù Goffridus Comes Montis Caveoſi, & Converſani, Vir (ut de eo loquitur (a) Falcandus) ſummæ liberalitatis, & armis eximius, ſed mobilis ingenii, cum in Sicilia Nethum, Sclafanum, & Caltanixettam poſſideret, & cæteris Regni Dynaſtis præſtaret, à Maone Architalaſſo hominum ſceleſtiſſimo, & Vuillelmo Malo, cui à ſecretis erat, ſimillimo, in Regem ſollicitatus, aſſentire ſe finxit, eo animo, ut proditionis auctorem deferens, digno ſupplicio ſubmoveret. Verùm eadem ipſa arte à Maone deluſus, Buteræ cum aliis prætenſæ perduellionis conſciis obſidetur, & deditione facta, ea lege, ut tota Sicilia exularet, dum Meſſanæ Navim præſtolatur, à regiis militibus inopinatò comprehenſus, Panormum ducitur, & carceri mancipatur, tandem Maone agente, luminibus orbatus, miſerrimè defunctus eſt poſt annum 1166., tribus filiis relictis, nempè Sylveſtro Raguſii Comite, Raynaldo Catanenſi Monacho Ordinis S. Benedicti, & Deſiderata Bartholomæo de Lucy nupta, quibus paterna hæreditate fraudatis, quamvis ſanguinis affinitate Regem attingerent, Caveoſanum Comitatum adeptus eſt homo hiſpanus, Rodericus (b) Garziæ Navarræ Regis ex Pellice filius, qui in Siciliam cum Margaritha ejuſdem Regis Navarræ filia, & uxore Vuillelmi primi appulſus, Henricus impoſterum Reginæ ſororis juſſu vocitatus eſt, cum Roderici nomen barbarum in Sicilia videre-

Loffridus Caveoſi Comitatu privatur.

Et Henricus hiſpanus fit Comes.

I 2

(a) Fol. 645.

(b) Fazzellus.

deretur. *Hic Vir* ( ut habet Falcandus ) *ſtatura puſillus, barba rariſſima, ſubpallida nigredine deformis, indiſertus, elinguis, omnium neſcius, præterquam ludi Alearum, & Teſſeræ*. Uxorem duxit quandam filiam notham Regis Rogerii, dotiſque nomine omnia, quæ Gaufridus poſſederat, obtinuit.

1174. Alexander Tertius uſum Pontificalium indulget Alferio Abbati.

Sed ad domeſticam hiſtoriam nos revocat Alferius Abbas, cui Monachorum ſuffragio Monaſterii regimen poſt obitum Joannis primi delatum fuerat, hic enim divino cultui apprimè deditus, & rei familiaris haud negligens, nihil antiquius habuit, quam præfecturam ſibi concreditam novis prærogativis honeſtare, quare Zachariæ Notarii Regii in Monachos egregiè affecti uſus benevolentia, ejus induſtria ab Alexandro Tertio, cui Zacharias erat acceptus, Diploma anno 1174. impetravit, quo Cænobium ſub S. Sedis patrocinium recipitur, laudantur præterea, rataque habentur omnia jura, conſuetudines, immunitates, libertates, omniaque bona, nedum conceſſa ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & à Comitibus Umfredo, Goffrido, Radulpho, & Emma, ac à Rogerio Rege, ſed etiam ab aliis impoſterum concedenda, quadragenariæ conſuetudinis commodum indulgetur, & plurium Eccleſiarum tituli ſigillatim recenſentur. Sed ne Pontifex videretur magis Monaſterii commodo, quam Eccleſiæ cultui proſpexiſſe, Alpherio Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regularibus concedit Mitræ, & Anuli inſignibus uti poſſe in diebus dominicis, & aliis ſolemnitatibus, in ſupplicationibus Monaſterii, in ſynodis Diæceſanis, ac pronvincialibus. Et quidem hunc Pontificalium veſtium ornatum quibuſdam Abbatibus ex S. Sedis indulgentia ab antiquiſſimis temporibus conceſſum, plura vetera Diplomata (a) oſtendunt, præcipuum tamen illud eſt à Thudone Archiepiſcopo datum Abbatibus Monaſterii S. Ambroſii Mediolani anno Chriſti 866., ut juxtà priſcam conſuetudinem ( verba ſunt Thudonis ) *diebus Dominicis, ac ſolemnitatibus indutus ( Abbas ) Sandaliis cæteriſque epiſcopalibus ornamentis in ſua* Eccle-

(a) Baron. an.34., & 57., Raynald. ann.1199.

*Eccleſia divina officia peragat &c.* quamvis non ignorem de hujus Diplomatis integritate Mabillonium ( *a* ) noſtrum in ſuis annalibus ſubdubitaſſe.

Scio recentibus ſacræ Congregationis reſcriptis ad certos dies, certiſque limitibus Pontificalium ornamentorum uſum Abbatibus circumſcribi, inde tamen nullum creari poteſt præjudicium iis Abbatibus, quibus ad deſignatos, ac certos dies ſpecialiter, & non indefinitè, aut communicationis tantùm privilegio præfatus uſus permittitur ( *b* ), uti cautum legimus in decreto Sacræ Congregationis Rituum die 26. Julii anni 1660., in cujus calce poſt injunctam executionem decreti anno præcedenti editi, quo uſus Pontificalium Abbatibus ad tres tantùm ſingulis annis dies feſtos permittitur, hæc ſubduntur, *Salva quavis contraria, verbaliter tamen expreſſa, diſpoſitione privilegiorum particularibus Monaſteriis Congregationis Caſinenſis conceſſorum*: Et quod hic pro omnibus Monaſteriis ſtatuitur, jam ſpecialiter cautum fuerat pro Monaſterio Cavenſi in eodem decreto, in reſponſione ad quartum. Quin etiam hoc notatum velim, Caveoſanos Abbates, nedum diebus ſolemnibus, & Dominicis, ſed etiam pro-feſtis, dummodo aliqua in iis ſolemnitas peragatur, uti eſſet publica ſupplicatio, Reliquiarum translatio, & ſi quæ alia ſint hujuſmodi, poſſe Pontificalibus inſignibus uti.

In omnibus diebus feſtis,

Indulſit præterea Alexander Tertius, ut tempore generalis Interdicti divina officia à Monachis peragantur Januis clauſis, ſubmiſſa voce, & non pulſatis Campanis. Tandem jubet, ut omnia Monaſterii jura ſarta tecta habeantur, reſervata Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & debita Epiſcopo *Diæceſano* reverentia: Et idcircò omnes cujuſcumque gradus exiſtant, & conditionis, qui Monaſterio inferre audeant moleſtias, vel ejus jura violare, aut bona furripere, tertiò monitos, poteſtatis, & honoris prærogativa privat, ſacris interdicit, divinique judicii ultioni permittit, benè vero iis apprecatur, qui Monaſterium beneficiis, ac favoribus proſequuntur. Dato ad hoc Diploma-

Et alia plura adjicit beneficia,

te

( *a* ) Tom.3. fol.89.

( *b* ) Card.de L.ca lib.3.p.2.diſc.15. de præeminen.

te (*a*) Ferentini Tertio kal. Januarii, anno sui Pontificatus 16., cui plures S. R. E. Cardinales calculum præbuere, & anno ſequenti 1175. idem privilegium nova editione fuit repetitum, in quo Eccleſiæ Monaſterio ſubjectæ ultra quadraginta recenſentur. Sed quia his diebus Eccleſiam S. Reparatæ, & alias Gurgulione ſitas, Robertus Britto invalerat, & Monaſterii Colonos contumeliis, & verberibus affectos expulerat, eum Alferius Abbas, judicio Turſii primum anno 1176., & Craci iterum inſtituto, judicum auctoritate implorata, ſtuduit compeſcere.

1175. Et duas ſupra quadraginta Eccleſias Monaſterium recenſet.

1176. Alferius Eccleſias Gurgulionis recuperat.

Biennio deindè elapſo, nempè anno 1178. ad Acheruntinam Cathedram Alexander Richardum evexit, qui ſeptimo ſui Præſulatus anno morte præventus, Petro ſecundo ſedem ceſſit, huicque poſt decennium alter Petrus ſuffectus, Romæ anno 1196. conſecrationi Eccleſiæ S. Laurentii in Lucina interfuit.

Non diù tenuit Caveoſanum Comitatum Henricus Navarrus, Reginæ namque Margarithæ favore plus æquo elatus, defuncto Vuillelmo primo Rege, in Stephani Archiepiſcopi Panormitani necem cum quibuſdam ſiculis (*b*), & Calabris conſpiravit, inſidiis autem detectis, juſſu Vuillelmi ſecundi, qui Patrem poſt tredecim annos exactos in Regno excepit, carceri mancipatus eſt, & paulò pòſt ſolum vertere coactus, in Hiſpania exulavit. Turbata deindè Regni Siciliæ pace poſt Vuillelmi ſecundi mortem, & magnatibus in factiones, & in varia ſtudia abeuntibus, qui Tancredo Rogerii Regis Notho adhæſerant ab Henrico VI. Imperatore, Conſtantiæ Uxoris jura armis propugnante, ſubacti, feudiſque mulctati, iis locum, ditioneſque ceſſere, qui Victoris fortunam ſecuti fuerant. Hac autem Reipublicæ tempeſtate fortaſſe abſorpto Henrico Navarro, quem ab hiſpanico exilio revocaverat Vuillelmus, Ugo de Macha Caveoſi Comes emerſit, Henrico VI., à quo Hydrunti Juſticiarius, ſeù Præfectus fuerat inſtitutus, familiaris. Et hic porrò ex iis, qui Caveoſum fiduciario jure, & in feudum à Regibus tenuere, primus occurrit, qui in noſtro Cænobio beneficiis, ac gratiis deme-

Henrico Comiti Ugo de Macha ſufficitur.

1195. Qui privilegia Michaeli Abbati confirmat.

rendo

(*a*) Bullar. Caſin. conſt.186. p.2. (*b*) Caraſa Hiſt. Neap. lib.3.

rendo inclaruerit, precibus enim Michaelis primi nuper in Abbatem ſuffecti, qui cum Alferio prædeceſſore anno 1160. donationi Eccleſiæ S. Martini ſubſcripſerat, permotus Ugo, omnia antiqua privilegia, & conceſſiones ſuo aſſenſu confirmavit, & veteribus recens id beneficium adjecit, ut nempe Monachi in Cœnobii utilitatem converterent illorum dierum ſervitium (*operas diurnas vocat*), quod extranei Meſſores ad Segetes Monaſterii demetendas conducti, ex conſuetudine (abuſum meritò dixeris) tunc temporis vigente, præſtare tenebantur in commodum Curiæ Comitum, & demùm omnimodam libertatem, & immunitatem ab antiquis Principibus donatam hominibus Monaſterii, nova conceſſione ratam eſſe jubet.

Et licèt in hoc Diplomate anno 1195. exarato, Ugo ſe *de Macba* cognominaverit, Tomacella tamen (niſi error ſit in exemplato) (a) ab Henrico VI. nuncupatur, in quodam Diplomate Angelo Terentino Archipræſuli eodem anno conceſſo, in quo Terram Appii à Gervaſio Archiepiſcopo ante paucos annos emptam confirmat, quod ipſum præſtitit etiam Conſtantia Auguſta in alio Diplomate anno 1198. exarato, non tamen menſe Decembris, uti legitur in Ughellio, Conſtantia enim præcedenti menſe jam diem clauſerat extremum, ibique hæc habet: *Concedimus, & confirmamus Terram Appii, & Caſale S. Petri cum omnibus &c., quam Sibilia Domina ejuſdem loci ante adventum noſtræ ſublimitatis Eccleſiæ Tarentinæ vendidit, quam venditionem Vir ſuus, qui tunc abſens fuerat, poſtmodum ratam habuit, & pretii partem accepit, nec liceat Comiti Montis Caveoſi, qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, occaſione, quod Terra ipſa fuerit de honore M. Caveoſi, ſive Sibiliæ Viro, & hæredibus ſuis &c.* ex quo conjicio, Sibiliam Uxorem Henrici Navarri fuiſſe, quæ Appium cum Caſali S. Petri Gervaſio vendiderit, cum Henricus, uti dictum eſt, in Hiſpania tunc exularet.

Tomacella etiam nominatur.

Conſtantia autem Auguſta Marito mortuo Siciliæ Regnum moderabatur, illudque ſibi, ſuoque filio Friderico confirmandum curavit ab Innocentio Tertio Romano Ponti-

Raynaldus eligitur Archiepiſcopus Acheruntinus.

(a) Ughell. to. 9. in Tarent.

Pontifice, Clientelæ, & Homagii ſponſione præſtita, & nonnullis conditionibus adjectis, quarum ea fuit præcipua: *Ut eligentes ad Eccleſiaſticas dignitates canonicè fierent*. Hinc plures in utroque Regno pietate, ac eruditione commendati ad Infulas evecti ſunt ab Innocentio, qui eodem anno 1198. menſe Martii Raynaldum S. R. E. Procancellarium Acheruntinæ Cathedræ præfecit, eumque impensè laudat datis ad Acheruntinos, (*a*) ad Matheranos, & ad ſuffraganeos Epiſtolis, & ejus etiam prudentiæ plura expedienda commiſit, inter quæ illud fuit, ut ſi expediens videretur, Abbatiæ Caſæmarii propè Verulas Ordinis Ciſtercienſis ſubjiceret ad petionem R. Comitis Licienſis Monaſterium Genuſii *ob Monachorum nigrorum incuriam vix ſufficiens quatuor Fratres tunc alere*, cum antea vel ſolius Fundatoris S. Joannis Matherani (*b*), Abbatis Pulſanenſis fama celebre fuerit, & divitiis affluens.

Conſtantia Auguſta moritur. Eodem anno 1198. Conſtantia fatali morbo (*c*) laborans, Innocentium Romanum Pontificem Siciliæ Bajulum, ſeù Curatorem, & filii Friderici adhuc impuberis Tutorem ſcripſit. Innocentius vero, ut Regnum ſuæ fidei commiſſum à Tyrannide Marcualdi vindicaret, Jordanum, & Gregorium Cardinales in Siciliam legavit, deſtinato etiam cum inſtructo exercitu Jacobo Mareſchallo ſuo ſobrino, quem Siciliæ Primores deindè ob egregiè, ac ſtrenuè navatam Reipublicæ operam, Comitatu (*d*) Andrienſi donarunt, & Gualterium præterea Drojanum Præſulem Regis Cancellarium, diris devotum, in ordinem Pontifex redegit, quia tyrannide affectata, ſuos tantùm familiares Regis ſervitio deſtinabat, & omnia publica munera turpiter nundinans, etiam Comitatus, & Dynaſtias, antiquis Toparchis expulſis, ad ſuum placitum largiebatur.

In hac autem totius Regni perturbatione, Ugonem de Macha, ſeù Tomacellam exautoratum ſuſpicor, nam anno

(*a*) Epiſt. Innoc. l. 2. fol 217. 480. & ſeqq. Edit. Venet. 1578.

(*b*) Ad diem 20. Junii apud Bollandum;

(*c*) Baronius ad an. 1186.

(*d*) Raynaldus an. 1200.

1200. Jacobus Tricaricen Maurino Abbati aliqua largitur.

no 1200. Jacobus Sanſeverinius Tricaricenſis Comes, & Apuliæ, & Terræ Laboris Logotheta, Caveoſani Comitatus potiebatur, qui præceſſoris ſtudium, ac pietatem æmulatus, cum filio Roberto Viſcomite, & Comite honoris M. Caveoſi, menſe Januarii Ind. tertia, quemdam Furnum Monaſterio adjacentem Maurino Abbati, qui Michaelem nuper defunctum exceperat, largitus eſt, cum poteſtate panes inibi coquendi, quod etiam ante actis temporibus à Monaſterio factitatum ſuiſſe profitetur, mulcta contra Bajulos, alioſque Curiæ Miniſtros indicta, ſi quid hoc nomine præſumpſerint exigere.

Matherana Eccleſia cum Acheruntina unitur.

Porrò hoc eodem anno 1200. vita functo Raynaldo, ſufficitur in Acheruntino Præſulatu Andreas Acheruntiæ Archidiaconus, ab Innocentio Tertio favorabili Diplomate muneratus anno ſequenti, & ab eodem ampliori ſanè beneficio paulò poſt affectus, cum enim *Acheruntina Eccleſia communi tunc cum vicinis Eccleſiis* (inquit Innocentius) *gravaretur excidio, redacta in ſolitudinem & in diminutionem converſa*, ad ejus inopiam provido conſilio reſovendam, Summus Pontifex Cathedralem Eccleſiam Matheranam, quæ ab anno 1080., vel circiter, ob aſſertam egeſtatem, Archiepiſcopi Acheruntini adminiſtrationi fuerat concredita, cum Acheruntina priori Cathedra perpetuo fœdere anno 1203. copulavit, hac lege injuncta, ut impoſterum idem utriuſque Eccleſiæ inſimul eſſet Paſtor, & Archiepiſcopus.

1206. Brunus latifundium Joa: Abbati donat.

Jacobi conceſſioni haud gravabor donationem accenſere cujuſdam fundi in loco *Arena* dicto, à Stephano Bruno Joannis filio Caveoſano Cive ſpectatæ probitatis viro factam Cænobio, quam Joannes ſecundus Abbas, Maurino Abbati jam vita functo ſublectus, Joannicius Prior, Angelonus, aliique Monachi ratam, gratamque habuere anno domini 1206.

1210. Jacobus aliud Privilegium concedit.

Hiſce autem diebus præfatus Jacobus, filius (ut certo mihi argumento videor conjicere) Rogerii Tricaricenſis (a), & nepos Roberti à Lauro Sanſeverinatis, Comitis Caſertani, Albiriam Regis Tancredi filiam, Gual-

 terii

(a) Ammirat. in Sanſever. fol.7.,
Giannatas lib.12. in fine.

terii Brennenſis relictam, duxit Uxorem; à qua Simeonem, & Adelitam habuit, Robertoque Viſcomiti ex prima Uxore ſuſcepto, Madoniam copulavit Albiriæ tertiam ſororem. Hic anno 1210. menſe Julii aliud privilegium ſcripſit, quo cuncta Emmæ, Rogerii, aliorumque Principum Diplomata ſarta tecta haberi mandat, & hoc potiſſimum jubet, ut Monaſterium nullis Bajulorum, vel cujusvis alterius moleſtiis ſit obnoxium, ut homines ab Emma donati, liberi ſint, & immunes, & ſi quæ bona fuerint diſtracta, & ab aliis occupata, iterum Monaſterio reſtituantur. Et quia piiſſimi Comitis ea fuit ſollicitudo in juribus Monaſterii tuendis, ut multum in eo laborare viſus ſit, ne temporum injuria, vel hominum perfidia umquam ea labefactari contingeret, parum ei viſum eſt conſenſum adhibuiſſe ſuæ Uxoris Elenæ, quam mortua Albiria deſponderat, & Roberti, ac Gulielmi filiorum, quin etiam duos Epiſcopos adhibuit teſtes, Thomam nempè Gravinenſem, & Joannem Tricaricenſem, qui in Ughelliano ſyllabo deſideratur, ut eorum dignitate, & præſtantia robur privilegio adiiceretur.

1219. Andreas Archiepiſcopus à quarta funerali, & à decimis Monaſterium abſolvit.

Paucos poſt annos etiam ab Archiepiſcopo Acheruntino Andrea, cujus paulò anteà memini, beneficia huic cænobio collata acceſſere. Hic namque feliciter eluſis machinationibus quorumdam, qui eum apud Honorium Tertium multorum criminum reum egerant, ſuoque priſtino honori reſtitutus, duo dedit Diplomata, alterum hoc anno 1219., alterum in ſequenti. Menſe igitur Auguſti hujus anni, Monaſterium ob ejus antiqua privilegia immune declarat à Quartæ Funeralis, & decimarum præſtatione, quæ Lateranenſis Concilii nuper celebrati ſanctionibus Epiſcopali ærario debebatur, huicque indulto præ cæteris ſubſcripſere ex Benedictinorum cætu Joannicius Abbas S. Euſtachii Matheræ, & Gulielmus Abbas Monaſterii S. Mariæ de Picciano, ſex milliaribus ab eadem Urbe diſſiti. Et hinc virorum iſtud fuiſſe Cænobium evincitur, non mulierum, ut perperam aſſeruit (a) Ughellius, & ex eo Lubinus (b); Quemadmodum etiam Monacho·

(a) In Acherunt.

(b) De Abbatiis Italiæ.

rachorum Aſcetheria fuere illud S. Salvatoris de Timbaro in Agro Matherano, & illud S. Mariæ de Armenis intra ejuſdem Civitatis mœnia, quicquid iidem Authores in contrarium dixerint.

Aliud vero Privilegium anno 1220. ab eodem Andrea Archiepiſcopo ad preces Joannicii, qui ex Priore, ob Joannis ſecundi Abbatis mortem, infulis fuerat nuper exornatus, conſcribitur, quo nedum Eccleſiarum omnium dominium Monaſterio confirmavit, & immunitates, ac libertates ab Arnaldo, ut ipſe dicit, ſed verius à Petro Archiepiſcopo indultas recenſet, verum etiam Monachos ab onere exolvit pendendi oblationes, decimas, & quartas funerales, tùm Caveoſi, tùm etiam in omnibus Patagis à Monaſterio poſſeſſis, poteſtate tantummodò Archiepiſcopis reſervata Chriſma, & ordines conferendi, & reliqua peragendi, quæ muneris ſunt Epiſcoporum pro incolis dictorum Caſalium, nempè Avinellæ, S. Salvatoris, & S. Mariæ Coronatæ. 1220. Et Joannicio Abbati immunitates indulget.

Emicuit etiam Andreæ Archiepiſcopi munificentia erga ſorores pœnitentes S. Mariæ de Accon, Ordinis S. Auguſtini, quæ cum plures ab oriente in Apuliam deſtinaſſent ſui inſtituti Colonias, & earum fama ſanctitatis Matheranos Cives impuliſſet ad ipſas Civitate donandas, præſtò affuit Andreas, iiſdem inhabitandam permittens Matheræ Eccleſiam S. Mariæ de Nova, poſitam (uti antiqua inſtrumenta loquuntur) in ſaxo Bariſano ad locum ſovealium propè S. Blaſium, quæ ab Abbate ſeculari tunc regebatur, pleraque etiam alia adjecit ſuæ pietatis argumenta, Eccleſiam nempè campeſtrem S. Mariæ de Balneolo, & aliam Sancti Georgii in ſaxo Bariſano, cum Domibus, Hortis, Nemoribus, & reliquis juribus ad eas ſpectantibus, uti ex Pontificis Gregorii IX. Diplomate (a) habetur. Porrò Eccleſiam præfatam S. Mariæ de Nova, ad quam noſtris diebus ex templo pænè diruto S. Joannis Baptiſtæ translatum eſt Clericorum Collegium, & Parochia, Moniales pœnitentes inhabitarunt uſque ad ſæculum quintumdecimum, quando ob bellorum metum priori domo dimiſ- Moniales de Accon Matheram advocat. Quę modo Monaſterium Sanctæ Mariæ Annuntiatæ incolunt.



(a) Uhgell. to:7. in Acher.

dimiſſa ; ad Hoſpitium ; quod jam diù intra Civitatem poſſederant , ſe contulere , quodque adhuc tenent ſub invocatione Deiparæ ab Angelo Nunciatæ ; quamvis modo non S. Auguſtini , ſed S. Dominici habitu utantur ,] & vitam ducant virtutum præſtantia , morumque pietate conſpicuam . Cum autem ſitus anguſtia , monialium numero adaucto , premerentur , circa annum 1680. à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ locum conterminum , ponte ſuper viam publicam ad vetus novo ædificio nectendum ſtrato , coemerunt , quo factum eſt , ut pauca Euſtachiani Monaſterii veſtigia adhuc inibi extantia pœnè ſublata fuerint , & vetus Eccleſia ( capitulum fuiſſe Monachorum aliqui autumant ) in monialium Cœnaculum verſa ſit , quamvis conſtans fama habeatur , illuc B. Eugeniam Monaſterii S. Agathæ , & Luciæ Abbatiſſam fuiſſe reconditam . Quin etiam nomina antiquorum Abbatum illius Monaſterii ibi exarata, delata fuerunt , quæ poſterorum memoriæ commendanda cenſui , ne penitus intereant ; uti legebantur : *Iſti ſunt Abbates Monaſterii . . . . Joannes* , *Gregorius* , *Paulus* , *Nicolaus* , *Laitus* , *Amatus* , *Hieronymus* , *Philippus* , *Ambroſius* , *Stephanus* , *Simeon* , *Ruſandus* , *Raynerius* , *Biſantius* , *Si . . . .* , *Joannes* , *Robertus* , *Georgius* , *Simeon* , *Joannicius* , *Nicolaus* .

*Et partem Monaſterii S. Euſtachii.*

Horum autem Abbatum Stephanus Eccleſiam S. Euſtachio dicatam conſtruxit , & ab Arnaldo Acheruntino ( *a* ) Archiepiſcopo dicandam curavit anno 1080. , Bariumque anno 1087. magna Matheranenſium Civium caterva ſtipatus acceſſit , Sacra S. Nicolai Oſſa recens Mirâ Lyciæ Civitate delata veneraturus , quam Stephani Religionem inſigni miraculo Deus commendavit , reddito ad invocationem S. Nicolai ( *b* ) ambulandi uſu cuidam puero , quem Matherani , impetrandæ gratiæ ſpe pleni , Barium devexerant , & cum anno 1093. Urbanum ſecundum Summum Pontificem in ſuo Monaſterio excepiſſet hoſpitio , tandem anno 1102. , è vita diſceſſit , ſucceſſoremque habuit Simeonem , uti etiam Protoſpata indicat.

*Cuius Abbates recenſentur.*

Alter

( *a* ) Protoſpatha .

( *b* ) Beatillus in vita S. Nicolai lib. 6 cap. 10.

Alter verò Simeon Euſtachium Ammiratum cucullo donavit anno 1208., cujus ſucceſſor Joannicius Andreæ Diplomati, uti diximus, anno 1219. ſubſcripſit, & Nicolaus Abbatum in prædicta ſerie poſtremus, ille idem eſt, qui ex ſuorum Monachorum conſenſu anno 1223. cum Andrea Archiepiſcopo, & Canonicis Matheranis tranſegit, permittens, ut Palatium Archiepiſcopale conſtrueretur in parte pænè diruta ſui Monaſterii, cujus ambitus, ut ſuſpicari licet, à loco, in quo dictæ Archiepiſcopi ædes modo extant, protendebatur per totum illud ſpatium, quod recens Conventui Annunciatæ acceſſit, & ubi ædificatum etiam fuit uſque ab anno 1594. pium Conſervatorium, uti vocant, Montis Pietatis. Nec poſt Nicolaum diù ſubſtitit in Euſtachiano Cœnobio regularis vitæ obſervatio, quapropter menſæ Archiepiſcopali paulò poſt fuit unitum.

Sed ad res domeſticas revertar oportet, quas plurimùm Joannicii Abbatis induſtria promovit, duplici Diplomate procurato à Friderico ſecundo Imperatore, imperiali enim mandato excitatus in Capuana Curia edito, quo omnes jubebantur privilegia à Principibus jam conceſſa coram proferre ad Judicum cenſuram ſubeundam, Joannem Monachum induſtrium, & impigrum virum ad Aulam cum Archetypis Diplomatibus deſtinavit, qui Radulphi Abbatis exemplo, Cenſorum judicium experturus, unum tantum Emmæ privilegium anno 1110. conſcriptum oſtendit; cumque Cæſar illud menſe Martii anno 1222. Averſæ commorans, novo ſcripto laudaſſet, ipſe reliqua omnia diſcutienda protulit, de eorum integritate ſecurus.

1222. Ioannicius Abbas à Friderico ſecundo duo obtinet privilegia.

Et quidem Imperator, antequam Verulas abiret, Gregorium Nonum *ſyriacam expeditionem* urgentem allocuturus, *Neapoli* cum ageret, menſe Aprilis ejuſdem anni 1222. ampliſſimum privilegium expediri juſſit, quo confirmantur Terræ, Villæ, Eccleſiæ, medietas reddituum Civitatis S. Trinitatis, quæ etiam tunc Turris Maris dicebatur, & omnia alia jura obtenta tum ex indulgentia Emmæ Comitiſſæ Civitatis Severianæ Amitæ ſuæ, & Monaſterii (ut ipſe dicit) Fundatricis, Umfredi, Radulphi, & Rogerii, tum etiam quacumque alia legitima, ac juſta ra-

tione

tione poſſeſſa : Emmam verò jure meritò Monaſterii Fundatricem à Friderico appellatam dixerimus, ſi ejus eximiam, qua Monaſterium proſecuta eſt, charitatem ſpectemus, & opima latifundia, immunitates, ac prærogativas ab ea indultas perpendamus.

Hæc autem omnium Diplomatum iterata confirmatio à Friderico habita (primam Rogerius Rex fecerat anno 1146.) nedum Abbatis, & Monachorum ſtudium in re familiari promovenda egregiè commendat, ſed etiam Archivi membranas integras, nullique falſitati obnoxias eſſe locupletiſſimè demonſtrat. Cum enim plures ſua privilegia, vel neglexerint ſtatuto tempore cenſoribus ſubjicere, vel ea nequiverint à ſuppoſitionis labe vindicare, turpiter judicio cedere coacti ſunt, cum integer titulus in conſtitutionibus Regni habeatur: *De privilegiis in Curia Capuana revocatis*. Et quamvis hæc noſtra duo Diplomata à Friderico conceſſa Notarium non exprimant, ſcio tamen, eum uſum fuiſſe ſæpiſſimè opera Procopii de Mathera imperialis Notarii, uti ex plurimis documentis evincitur, & præcipuè ex illo Monaſterii Carbonenſis apud Sanctorium anno 1232. expedito Melphiæ, apud quam urbem, quemadmodum & apud Gravinam Imperator cum aucupio ſummoperè delectaretur (quando per otium licebat) divertebatur; Ea propter nobile quoddam (*a*) ædificium extruxit, uno circiter à Gravina milliario diſſitum, cujus adhuc rudera viſuntur in quodam Colle, & vulgò *Piſchera* dicitur.

Quibus integritas probatur Archivij.

1223. Cum verò Fridericus Policorium ſe tranſtuliſſet, anno ſequenti 1223. ad Joannicii preces die 13. Maii indictione 11. Riccardo de Claro Monte Lucaniæ Juſtitiario mandavit, ut integrum Murri tractum, cujus non exigua pars ob bellorum motus, vel ob Monachorum incuriam à peculiaribus Caveoſi Civibus fuerat occupata, Monaſterio, ſi ejus eſſe conſtitiſſet, adjudicaret. Caveoſani vero, ne adverſam ſententiam ſubirent, Populi, totiuſque Civitatis rogato Conſilio, fatentes, nullum ſe jus, nullamque poteſtatem habere ſine Abbatum permiſſu, Terras Monaſterii excolendi, & in pro-

Et Reſcriptum Juſtitiæ

prium

(*a*) Jo: Villanus Hiſt. lib. 6. cap. 1. collenuc. lib. 4.

prium commodum revocandi, Joannicium Abbatem exorant, ut à Judicio deſiſtat, ſeque ejus mandatis obtemperaturos pollicentur; ſicque ea controverſia, aſſerto in favorem Monaſterii jure dominii, amicorum conſilio fuit abſoluta. Eademque felicitate poſt biennium Joannicius Bajulorum Montis Caveoſi compeſcuit audaciam, qui vectigal (affidaturam vocant) exigere præſumebant a Colonis Pomarici, & Milionici pro bobus, quibus illi utebantur ad prædia Monaſterii Decumana excolenda in diſtrictu Caveoſano, numquam enim hoc vectigal ſolutum fuiſſe, plurium teſtium concordi voce probavit Raho Matheranus Camerarius honoris Montis Caveoſi.

1225. Teſtimoniale à Civibus Caveoſanis.

Hoc eodem anno 1225. menſe Septembris è vivis abſceſſit Andreas Barenſis Archiepiſcopus, ad eam Cathedram evectus anno 1214., qui paucos ante obitum menſes, nempe Majo præcedenti, noſtro Cœnobio, ac Joannicio Abbati, quem ſpeciali amicitia, ac familiaritate complectebatur, dominium confirmavit eccleſiarum S. Petri, & S. Joannis Apoſtolorum, quorum altera in Siceri, altera in S. Nicandri finibus poſita erat, & decimas eccleſiæ S. Nicolai ejuſdem caſtri S. Nicandri; reſervata tamen menſæ epiſcopali debita portione, quam ſimul cum libra ceræ à Monaſterio ſingulis annis pendendam in feſto Deiparæ Aſſumptæ mandavit. Nec omiſit Andreas ad perennitatem ſuæ conceſſioni comparandam, privilegia recenſere quondam Cœnobio indulta pro eiſdem eccleſiis à Matthæo, & Angelo, qui in Barenſi Cathedra ſederant. Ità etiam Andreas Archiepiſcopus Acheruntinus, novo dato Diplomate hoc eodem anno, iterùm Joannicio indulget, quæ quinque antè annos liberaliter conceſſerat, jure tantum ſibi reſervato Clericos criminibus obnoxios coercendi, quos Abbas Caveoſanus in Eccleſia S. Mariæ Montis Caveoſi ad ſuum libitum inſtituebat, deſtituebatque.

1225. Et privilegium ab Andrea Archiepiſcopo Barenſi.

Et ab Andrea Archiepiſcopo Acheruntino alterum.

Obiit ſub id temporis Joannicius Abbas, ſtrenuus jurium Monaſterii vindex, cui paris virtutis virum ſubrogare non diu cunctati ſunt Patres Caveoſani, illicò namque Joannem Tertium ſibi Abbatem præfecere in negotiis peragendis inſigni dexteritate præditum qui a Gregorio

Joannicio Joannes ſufficitur.

No-

Nono luculentum impetravit Diploma (*a*) anno 1231. Reatæ 11. Kal. Auguſti expeditum, quo ſancitur, ut ordo Monaſticus ſecundùm S. Benedicti Regulam perpetuò in hoc Cænobio cuſtodiatur, deindè omnia bona, ac jura acquiſita, & acquirenda, & præcipuè locum, ubi Monaſterium ſitum eſt, confirmat, demùm ad verbum recitat Gregorius Alexandri Tertii ſui Prædeceſſoris Diploma, Monaſterium ſub S. R. E. protectione recipiendo, quod & Alexander præſtiterat. Ex quo falſo aliqui autumant, horum Diplomatum beneficio noſtrum Cænobium ab ordinaria Epiſcopi Diæceſani jurisdictione jàm tunc exemptum fuiſſe; nedum enim uterque Pontifex expreſsè conſultum voluit debitæ Epiſcopo reverentiæ, ſed neque hæc loquendi forma ullum infert Præſulum juribus præjudicium, ut ipſimet Alexander (*b*), & Innocentius Tertius litteris decretalibus ſtatuerunt.

1231. Cui Gregorius IX. privilegium concedit.

Nunc certè hoc noſtrum Cænobium ab ordinaria Archiepiſcopi jurisdictione omninò eſt immune, non ſolum vi privilegiorum Caſinenſis Congregationis, quæ ſunt eidem communia, verùm etiam ex peculiari Romani Pontificis diſpoſitione, cum Sixtus Quartus in Bulla Unionis hujus Monaſterii anno 1484. edita profiteatur, illud ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinere; quæ verba omnimodam indicant immunitatem, ut (*c*) Bonifacius Octavus declarat. Hoc verò exemptionis privilegium vel tum Monaſterium obtinuit, cum Sedes Apoſtolica Abbatiæ collationem ſibi reſervavit, vel cum Abbatibus ſæcularibus primò fuit collatum; itaut hoc ſolum ex tam gravi damno reportaverit emolumentum.

Et Andream Acheruntino Archiepiſcopatu Privat.

Hoc autem eodem anno 1231. Gregorius IX. Barenſi, & Regienſi Archiepiſcopis, & Joſepho Monacho Florenſi Ciſtercienſis Inſtituti provinciam demandat, ut ſedulo inquirant, num Andreas Matheranus Archiepiſcopus, de noſtro Monaſterio adeò egregiè meritus, reverà ſimoniæ, & colluſionis labem incurriſſet, quorum criminum fama reus poſtu-

(*a*) Bullar. Caſin. p. 2. Conſtit. 250.
(*b*) Cap. Recepimus, & cap. ex parte de privil.
(*c*) Cap. ſi Papa de privil. in 6.

Digitized by Google

poſtulabatur . Verùm Andreas vel adverſariorum potentia oppreſſus, vel facti conſcientia (quod credere vix poſſum) deterritus, deſperans, ſe eamdem in Gregorio clementiam experturum, quam in Honorio jam pridem fuerat expertus, purgare ſe coram Delegatis Judicibus detrectavit. Quare è propria Sede pontificio fulmine dejectus, brevi mortem oppetiit; quem autem ſucceſſorem nactus ſit, ignoratur, nam Ughelliana ſeries nullum profert uſque ad annum 1252., quando Magiſter Anſelmus Neapolitanus Canonicus ab Innocentio Quarto Acheruntinæ Eccleſiæ præfectus fuit, quam cum ad annum uſque 1267. rexiſſet, Laurentium Ordinis Prædicatorum, virum eccleſiaſtica ſcientia inſtructiſſimum, vita functus, habuit ſucceſſorem.

Fridericus verò Imperator, cum anno 1232. ſolviſſet Aquileja, quò etiam Henricus Filius, Leopoldus Auſtriæ Dux, aliique Principes convenerant de Republica conſulturi, in Apuliam ſe recepit; tuncque rei benè gerendæ occaſionem nactus Joannes Abbas, Cæſari, ejuſque Curiæ privilegia Principum obtulit, quorum beneficio Monaſterium donabatur quibuſdam hominibus, latifundiis, & libertatibus Caveoſi, & Pomarici, & jure paſcua ſumendi cum ſuis animalibus, aquandi, & ligna incidendi in demaniis Genuſii, à quorum poſſeſſione aliqui conabantur Monachos dejicere. Cæſar autem expoſitorum veritate comperta, nedum conceſſa confirmavit, ſed ſua imperiali clementia iterùm ea largitus eſt, ſuoque demaniorum Procuratori Nicolao Biſantio Barenſi præcepit, ut monaſterium in prædictis ſuis juribus conſervaret, & defenderet, & ſi aliquam eorum paſſum eſſet jacturam, ea monachis reſtitueret, quod Nicolaus principio ſubſequentis anni 1233. impigrè præſtitit.

1233. Fridericus genuſina jura Monaſterio confirmat.

Paulò poſt defuncto Joanne Tertio Abbate, Martinus monachus in ejus locum ſucceſſit, qui eodem rei familiaris conſervandæ zelo inflammatus, jura Turris Maris à Roberto quodam Cæſaris officiali occupata vindicavit, oſtenſo privilegio Emmæ concedentis dimidium omnium proventuum illius Caſtri, & evicta antiqua Monaſterii poſſeſſione ex dictis teſtium, quos Judex Petrus de Venuſio, man-

1239. Martinus Abbas jura Turris Maris tue tur.

 dato

dato Thomæ de Brunduſio excepit anno 1239.

Friderieus Sanſeverinios profligat. Hoc autem eodem anno 1239. Fridericus totam Italiam armorum ſtrepitu concuſſit, Apuliamque in fide nutantem properè accurrens, cum ex animi ſententia firmare nequiſſet, ea provincia ſuis Ducibus demandata, Capuam ad habendum Conventum abiit: interea plures contra eum Apuliæ Dynaſtæ, & Familiæ Sanſeveriniæ Reguli omnes, ex quorum numero erat Robertus Comes Caveoſanus, arma ſumpſere. Sed cum diù vario marte bellum protraheretur, tandem anno 1244. in campis Canuſinis inita pugna, Sanſeverinates ferè omnes occiſi, vel capti, exquiſitis cruciatibus à Friderico ſunt interempti; quin etiam nec ab ipſis matronis, quæ Panormum pro captivis deprecatum iverant, temperatum eſt; quo caſu illuſtris hæc Familia jam foret extincta, ni Donati de Euſtachio civis matherani (Donatellum (a) de Staſo, à quo hanc narrationem hauſit, eum vocat Spinellus) ſumma fides ſimul, ac ſolertia obſtitiſſet. Hic enim Rogerium Sanſeverinium novennem, filium Haymarij ſui Domini (Matheræ Comitem fuiſſe arbitror) Venuſia ſubducens, Celanum uſque ementito cultu ad Mariam Polixenam Comitiſſam, ejus amitam deduxit, quæ Friderici iram, & in Sanſeverinates omnes edictum verita, Donatum exorat, ut ſecretò Rogerium Innocentij IV. Romani Pontificis fidei, & protectioni committat; Pontifex autem familiæ, de Eccleſia tàm egregiè meritæ par reddere ſatagens, deſtinato annuo mille florenorum ſtipendio, ejuſdem Donati prudentiæ, ac induſtriæ puerum educandum dimiſit; quod quam graviter Donatus peregerit, Rogerius ipſe omnibus artibus viro principe dignis excultus oſtendit, talis enim evaſit, ut ſuæ domus antiquum decus nedùm reparaverit, ſed etiam plurimum adauxerit. Exulum quippè Regni Dux factus, perpetuò Svevos armis laceſſivit, & tandem ſub Carolò primo, cujus partes cum ſuis clientibus fortiter promovit, Patriæ reſtitutus, Marſorum Comes renunciatus eſt, & Sanſeverinatis propaginis, cui ſecutis tem-

(a) In Diario impreſſo à Papebrocg. in Conatu hiſtor., & in rerum Italic. Scriptor. Tom. 7. p. 1073.

temporibus inſignes Toparchiæ acceſſere, fæcundiſſimus truncus emerſit.

Cum igitur in illo Sanſeverinatum excidio omnes eorum Ditiones fuiſſent Fiſco addictæ, Fridericus anno 1251. in Florentino Apuliæ Caſtello animam agens, Manfredum, quem ex Blanca Pellice exceperat, poſtremis tabulis Comitem Caveoſanum (a) ſcripſit, eidemque legavit Principatum Tarenti cum Comitatu Gravinæ, & Tricarici, & Honorem S. Angeli cum jure meri, & mixti imperij, addiditque Regni Præfecturam, donec Conradus hæres ex Germannia, ubi tunc morabatur, appelleret. Conradus autem audita Patris morte, Venetam claſſem conſcendens, Piſcariam appulit, ſtatimque Foggiæ habito Procerum conventu in rebelles cum expedito exercitu movit. Manfredus verò ſtudens, omnem ſuſpectæ fidei labem, qua apud Regem laborabat, à ſe amoliri, ſpontè Comitatum Caveoſi, Gravinæ, & Tricarici abdicavit, & Brundusium, ac Honorem S. Angeli ceſſit, ſolo Principatu Tarentino retento, in quo tamen à Conrado prohibitus eſt jus meri, & mixti imperii exercere. Paulò autem poſt, nempè anno 1254. Conrado ex humanis abrepto, Manfredus uti Conradini Nepotis Curator, Regni habenas ſuſcepit, ex quo plurimorum invidiam incurrit, quos inter fuit Bertoldus Marchio Honebruchenſis, quem vario marte expugnatum, tandemque captum apud Foggiam anno 1255. carceris ſqualore confecit, incaſſum ejus Uxore Iſolda deprecante, quæ cum eſſet Marchionis Lanceæ Filia, Soror erat Amitina Manfredi; à quo tamen Comitatu M. Caveoſi, Montis Peluſii, Honore S. Angeli, aliiſque Ditionibus donata eſt, ut mariti calamitatem æquiori animo ferret, & theſauri, quem ad belli ſumptus Bertoldus clam uxori (b) ſurripuerat, & ex integro perdiderat, jacturam repararet.

*Moriens Manfredum facit Comitem Caveoſi.*

*Qui Comitatum paulò poſt abdicat.*

*Et largitur Iſoldæ.*

Quia verò Iſoldæ Marchioniſſæ Miniſtri, S. Salvatoris latifundia à Martino Abbate, cuidam Domino Cataldo de Edona in Emphyteuſim annis præteritis conceſſa, occupaverant ad colonicum opus exercendum, ipſa, ne Monaſterium,

*1259. Quæ Salvatoris Caſale Andreæ Abbati reſtituit.*

L 2

(a) Anonymus Tom.... Ughell.
(b) Anonym. Tom.9. Ughell.

rium , quod ſuæ Cameræ ſpeciali titulo dignavit, diſpendium pateretur , juſſit anno 1259. , ut tantumdem ex ſuo ærario ſingulis annis eidem penderetur , quantum à conductoribus paſcuorum , & ab excolentibus dictos fundos annis præteritis Monaſterium percepiſſet . Verùm prudens æquè , ac pia Mulier perpendens , non ſatis hoc ſuo reſcripto juribus , & indemnitati Monaſterii cautum , conſultumque fuiſſe, inſpecta temporum viciſſitudine, & varia miniſtrorum indole , novum paucis poſt diebus mandatum dedit, ut nempè Andreas Abbas , qui Martini præmortui locum impleverat , poſſeſſionem caperet corporalem Feudi S.Salvatoris cum omnibus juribus, præcepitque, ut uſquedùm ſui coloni terras Monaſterii colerent , decimas Monaſterio perſolverent ; quæ omnia Judex Sanſon diligenter anno 1259. perfecit.

Andreas Anglonem Galaſi Monaſterio vindicet.

Quo eodem anno Andreas Abbas favorabili reſcripto Manfredi Malectæ Comitis Minei, Magni Siciliæ Camerarii, & tunc Domini Genuſii , Anglonem Galaſi recuperavit , quem Malectæ Miniſtri hoc prætextu uſurpaverant, quod Bradanus fluvius ſexdecim ante annos , antiquo alveo relicto, novam aquarum impetu viam ſibi aperuiſſet intrà fines S. Salvatoris, quo factum erat, ut pars terræ non parva à continenti S. Salvatoris diſſecta Genuſii finibus adjiceretur.

1260. Andreæ Archiepiſcopi privilegia tranſcribi facit.

Sequenti anno 1260. auſpicato contigit , ut Andreas Abbas in publicam formam redigi curaret duo Diplomata ab Andrea Archiepiſcopo Matherano, & Acheruntino edita anno 1219., & 1225., eorum namque nulla modò ſupereſſet memoria, exortis ſiquidem poſt duo ſæcula contentionibus inter Matheranos , & Acheruntinos de titulo Archiepiſcopi, utrumque archetypon ipſis mutuatum, deperditum eſt ; quorum primum Matheranorum, alterum Acheruntinorum juri favebat . Sic etiam à Marchioniſſa Iſolda novum Abbas impetravit privilegium anno 1261., quo omnia ab aliis Principibus indulta jura, & immunitates confirmantur, & præcipuè illud de operibus diurnis ab extraneis meſſoribus in monaſterii beneficium vertendis , quod Ugo de Macha pridem conceſſerat.

1261. Ab Iſolda privilegium impetrat.

Ma-

Majus tamen beneficium inſequenti anno à Manfredo Maleƈta Andreas obtinuit, Caſale enim Avinellæ, quod cum omnibus ſuis juribus, & hominibus Comes paucos ante annos ab eodem Abbate conduxerat, ad ejus ſupplices preces reſtituit, omni abdicata actione, quam conceſſionis ſibi factæ ope in eodem Caſali exercere potuiſſet. Hic autem Manfredus Malecta (Bovectam alii dicunt) ex Roberto Maletha (*a*) Nortmanno, quem Henricus Angliæ Rex ſub anno 1102. exulare coegit, originem ducens, Filium cognominem à Jacoba Bonifacia Domina Paternionis habuit, qui à Federico Siciliæ Rege anno 1299. turpiter deficiens, Paternionis Caſtrum ſuæ fidei concreditum, Andegavenſium auſpicia (*b*) ſecutus prodidit. 1262. Caſale Avinellæ recuperat.

Interim Manfredus Conradini Curator, Nepotis morte ſimulata, utriuſque Siciliæ Regnum, uſque ab anno 1255. invaſerat, quod alternante fortuna ultra decennium tenuit; & cum pecunia undique corrogaretur ad ingentes ſumptus in bellicis apparatibus neceſſarios, Regii Quæſtores etiam Monaſterium adigebant, ut ſex uncias ſolveret, dimidium nempè redditum, quos à juribus Turris Maris exigebat. Andreas verò Regem adiens, eique Privilegium Emmæ, & Friderici Imperatoris oſtendens, quibus ea bona ab omni ſervitio militari immunia conceduntur, duplex impetravit mandatum, aliud anno 1264., alterum ſequenti, Juſtitiariis Hydrunti inhibens, ne Monachis ullam inferant moleſtiam pro dictis juribus Turris Maris; ex quo ſummoperè Manfredi commendari debet juſtitia, qui æquis auribus Abbatis preces eo tempore admiſerit, quando in ſummo diſcrimine verſabatur Regni amittendi, quod etiam paulò poſt amiſit; cum enim Romanos Pontifices aſſiduis factionibus fatigaſſet, & eorum Ditionem hoſtiliter ſuiſſet populatus, Urbanus IV., ut ſecuritati Apoſtolicæ Sedis provideret, utriuſque Siciliæ Regnum Carolo Andegavenſi Provinciæ Comiti, & S. Ludovici Galliarum Regis Fratri obtulit, ea conditione, ut Manfredum expelleret, 1264., & 1265. Jura Turris Maris immunia defendit.

(*a*) Ordericus Vitabilis lib. 11.
(*b*) Fazzellus Hiſtor. ſicul.

ret, & à Romano Pontifice ſub certa annua præſtatione Regni poſſeſſionem capeſſeret.

Carolus ergo ad tàm nobile Regnum invitatus, in Italiam venit, & Romæ, omnibus plaudentibus, anno 1266. cum Uxore Beatrice in Regem inunctus, neapolitanos fines adortus eſt; ſtatimque in Campis Beneventanis profligato, ac cæſo Manfredo Rege, & tandem anno 1269. Conradino Conradi Filio inſigni adoleſcente, quem acie vicerat, capitali ſupplicio, ad fortunæ etiam in ſummos Principes ſævientis argumentum, Neapoli in medio Fori affecto, utriusque Siciliæ pacifica poſſeſſione potitus eſt; quamvis non multò poſt, anno nempè 1282. ad veſpertinæ Campanæ ſonitum, Siciliæ Inſulæ dominio exciderit, omnibus Gallis ibi exiſtentibus ab Inſulanis interemptis; qui ſtatim Petro Aragonio, quem Conradinus in ferali pegmate hæredem vocaverat, & qui tunc in oppoſitis Africæ littoribus ex condicto cum expedita claſſe verſabatur, ſe dedere.

1266. Et Caſtri Gigurii poſſeſſionem repetit.

Ut autem Carolus ſe devotum profiteretur Apoſtolicæ Sedis Filium, & Romano Pontifici gratas vices rependeret, nihil antiquius in ſui regni exordio habuit, quam eccleſiis, ſi quæ forent ſurrepta, reſtituere, eaſque ſuis juribus uti permittere; quod pietatis, & juſtitiæ officium etiam huic Monaſterio luculenter exibuit, Sperrono Domino de Riex Lucaniæ Juſtitiario anno 1256. mandans, ut Monachis Caſtrum Gegurii, quo fuerant ſpoliati, ſi eorum fuiſſe conſtitiſſet, reſtitueret. Sperronus autem inſpecto privilegio donationis ejuſdem Caſtri factæ Guarino Abbati à Rogerio de Montibus, & ab ejus Uxore Juditha, & confirmationis habitæ à Rogerio Rege, & ab Imperatore Friderico, auditisque teſtibus aſſerentibus, Lucaſinum Favettam, Friderici Imperatoris gratia fretum, improba vi Gegurium occupaſſe, illudque eò mortuo, & Cataldo ejus Filio dejecto, à Blanca Manfredi Regis Matre, & Bonifacio de Aglano illius Avunculo per vim poſſeſſum, comperto etiam Regium Fiſcum nullum jus in dicto Caſtro umquam habuiſſe, lata ſententia Gegurium cum omnibus ad illud ſpectantibus Monaſterio reſtituendum, & Abbatem Andream in ejus poſſeſſionem immittendum juſſit; quod

poſt

Digitized by Google

poſt novem dies factum fuit, interdictumque Bajulis Pomarici, ne Monaſterio eſſent moleſti in caſtri poſſeſſione, vel in decimatione.

Hoc eodem anno, vel ſub initium ſequentis, Andrea Abbate è vivis ſublato; Joannes Quartus antiquæ pietatis vir ſuffectus eſt, qui prædeceſſoris veſtigiis inſiſtens, ſub initium ſui præſulatus anno 1267. Jus Nundinarum, & Fori ſingulis annis menſe Maii habendi, Reſcripto Nicolai Frecciæ Regij Apuliæ Secretarij tutatus eſt, oſtenſo Emmæ Comitiſſæ Privilegio, quod Fridericus Imperator, & Alexander Papa III. ſuis diplomatibus laudaverant. 1267. Joannes Abbas jus Nundinarum Monaſterio aſſerit.

Hujus autem Abbatis ætate; quamvis ejus nomen membrana non proferat, Joannes quidam Presbyter, Turris Maris Incola, anno 1275., ſe, ſuaque Monaſterio obtulit ſub certis conditionibus, quarum ea præcipua fuit, ut in Monaſterio regulari habitu, ſi quando gratia Dei afflante id petiviſſet, donaretur; hanc autem oblationis chartam Guido Monachus recepit, qui deinde Abbati defuncto, magno Monachorum plauſu ſuffectus, in repetendo dominio Caſalis S. Mariæ de Cornu felix ſui præſulatus poſuit auſpicium: Cum enim Diogo de Bellomonte Regis Siciliæ Mareſcallus, ejuſque filius Odenetus ſub annuo cenſu dictum Coronatæ Caſale tenuiſſent, iis defunctis Regii Quæſtores Fiſco illud addicere contendebant; quare ex mandato Caroli Regis Portulanis Apuliæ anno 1278. directo, dicti Caſalis, quod tunc incolis erat frequens, poſſeſſio cum omnibus ædificiis inibi à Diogone conſtructis Monaſterio fuit afferta. 1275. Oblationem cujuſdam Presbyteri recipi. 1278. Guido Abbas Caſale de Cornu tuetur.

Et ut etiam cupiditatem Gigurii habendi, quæ Procuratores regii ærarii olim inceſſerat, & tunc etiam exagitabat, pro virili compeſceret Guido, in publicam formam redigi mandavit anno 1289. nedum ſententiam Sperroni, & documentum initæ poſſeſſionis dicti Caſtri, ſed etiam privilegium Friderici Imperatoris, jura, & bona omnia à Monaſterio poſſeſſa confirmantis, & ea præcipuè, quæ habebantur in Caſtro Turris Maris, tunc propemodum incolis, ob importabile pedagiorum onus, alibi aufugientibus, de- 1279. Jura Gigurii tranſcribi facit.

Digitized by Google

deſerto. Quapropter cum ji redditus in tenuem quinque unciarum auri cenſum eſſent redacti, & Monaſterium à fœneratorum rapacitate diriperetur, Guido ſub annua præſtatione unciarum auri ſeptem, & ſub ſingulari mutuo quinquaginta itidem unciarum, quæ ad æs alienum ſolvendum adhiberentur, eos redditus Vuillelmo de Marra Domino Roccæ novæ, quoad viveret, anno 1281. locavit.

1281. Redditus Turris Maris locat.

Jàm vero Caveoſum revertamur; qui Neapolitani Regni vices ſecutus, ab Iſoldæ Marchioniſſæ Dominatu decidens, ſub novo Rege novum nactus eſt Comitem Robertum Arteſium, Magnum Comeſtabilem, & Carolo primo arcta ſanguinis affinitate conjunctum; & paulopoſt Petrum Belmontij, & Corati Dynaſtam, magnumque Camerarium; quo brevi vita functo, Joannes Monfortius Comes Squillacii, & Montis Biloſi, Dominus quoque S. Mauri, Fuſcaldi, Blandæ, & Crimiſæ, ducta in uxorem Margaritha Petri Belmontii Filia, Caveoſi potitus eſt. Hic autem anno 1288., inſtante Guidone Abbate, præcepit, ut Furnus Guilielmi de Syre Angelo, quem ſibi uſurpaverat, communi Civium commodo pateret, & Monachis Dominis medietatis illius Furni dimidium proventuum tribueretur.

1288. Furnum recuperat.

Oblationem recipit, & jura Galaſi tranſcribi facit. 1289.

Hoc etiam anno Rogerius de Syre Nicolao, & Lecia conjux ex Caveoſanis præcipui, ut ſibi theſaurum numquam deſiturum in cœlis pararent, omnia quæ in terris poſſidebant, ſeque ipſos Deo, & S. Michaeli dedere in manibus Guidonis Abbatis; qui publicam rem ſedulò curans, ut Neapolim Procuratorem inſtructum deſtinaret, ad repetendum in ſupremo Tribunali Anglonem Galaſi à Joanne Traba, Odonis Soliacenſis miniſtro occupatum, ſententiam Goffridi Saſſonis, qua latifundium illud jàm pridem Monaſterio fuerat adjudicatum, hoc anno 1189. ab originali membrana juſſit tranſcribi.

1290., & 1291. Fines S. Salvatoris & Avinellæ defendit.

Majus tamen negotium, acrioremque curam ſubire coactus eſt Guido, cum apud Joannem Monfortium delatus à quodam Notario Thomaſio Caveoſano, Caſalis S. Marci Conductore, quod Monaſterium hujus Caſalis fines invaſiſſet; quapropter mandato ejuſdem Monfortii, electis communi

muni partitum conſenſu anno 1290. ; ex antiquioribus civibus, locorum peritis finitoribus, & documentis prolatis, veteres limites Caſalium S. Marci, S. Salvatoris, & Avinellæ, quæ ſunt finitima, explicantibus, præfata Caſalia certis finibus deſignatis circumſcribuntur. Sed quia Petrus Flamingus Vicarius ad hoc delegatus interim obierat, Guido, ut omnem impoſterùm calumniandi materiem radicitùs evelleret; convenit Petrum de Archia, qui Acheruntinæ Cathedræ, defuncto Laurentio, Præſul fuerat renunciatus anno 1279., & Joannem Gravinenſem Epiſcopum Monfortii Conſiliarios, ab iiſque litteras accepit ad Militem Amandum de Navis, qui Flamingum in Vicariatu exceperat, ut in corporalem poſſeſſionem immitteretur Caſalium S. Salvatoris, & Avinellæ juxtà fines recens ſtatutos, quòd Amandus, accitis iis, quorum intererat, principio anni 1291. egregiè executus eſt.

1293. Domum recuperat, & Anglonem Galaſi.

Anno 1293. Laurentius de Mutula, & Jaquinta Conjuges, Turris Maris incolæ, cum Domum Joannis Præsbyteri, Patris dictæ Jaquintæ, qui ſua omnia Monaſterio obtulerat, occupaſſent, ne ſacrilegii perpetrati Rei agerentur, eamdem liberè in manus Andreæ Prioris reſignarunt; quemadmodum etiam inſequenti anno Oddo de Soliaco, Belliocì, Caſtellanetæ, Maxafræ, Cirifalci, & Genuſii Dominus, Joannis Trabæ ſui Vicarii caſtigavit rapacitatem, qui ſpiritu iniquitatis (ut Oddo ait) accenſus, Monaſterium ſpoliaverat fundis Angloni Galaſi conterminis, & Rotella. Cum enim Guido contrà ipſum ſtatuiſſet in judicio agere, ſummamquè integritatem, & prudentiam Soliacenſis probè noſſet, qui tunc in Galliis agebat, ejus reditum præſtolari voluit. Et ſanè non eum ſua ſpes fefellit, nam Oddo ex Gallia redux, anno 1293. cum pluribus Viris probis, & expertis locum adiens, ex ipſa ſitus inſpectione fundorum ſpolium clarè deprehendit, quos ſtatim Moaſterio reſtitui juſſit. Hic autem mirari ſubit, ab aliquibus falſi poſtulari hoc Odonis decretum, quia ejus manu non fuerit ſubſcriptum; ſatis enim fuit in principio ſuum nomen poſuiſſe, uti præ cæteris factitatum legitur ab Alexandro Cla-

ramontio (*a*) anno 1135., & à Rogerio (*b*) Rege anno 1145. Quinimmò membranæ ſinceritati mirè adſtipulantur, qui ſua manu eam ſignarunt, Petrus Acheruntinus, & Joannes Gravinæ Præſules.

1294. Eccleſiam S. Viti de novo accipit à Petro Archiepiſcopo.

Et quidem Petrus Archiepiſcopus parùm Monaſterio præſtitiſſe ratus, Monfortii, & Soliacenſis integritatem nobis ſuo conſilio, & auctoritate conciliaſſe, voluit hoc eodem anno Monachos, quorum religione, & ſanctimonia mirè delectabatur, novo cumulare beneficio. Mortuo enim Abbate Jacobo, Cive Caveoſano, cum conſenſu capituli Acheruntini largitur campeſtrem Eccleſiam S. Viti, quæ de Veterano dicebatur, & quæcumque eidem ſuberant prædia, ſub onere unius libræ ceræ die S. Canioni ſacro perſolvendæ. Dudum enim Pagus S. Viti funditus dirutus fuerat, quem anno 1087. incolis frequentem fuiſſe ſcimus, quando Mulier (*c*) quædam hujus Caſtri, morbo comitiali laborans, Barium pergens, S. Nicolai patrocinio libera evaſit.

1296. Iterum Anglonem Galaſi recipit.

Sed ad Guidonem Abbatem redeamus, cui non diù licuit Guidonis Soliacenſis beneficio uti; nàm paulòpoſt Genuſina Ditione Principatui Tarentino adjecta, Guido de Villareto, Vicarius Philippi Principis, eodem, quo præfatus Joannes Traba ſpiritu ductus avaritiæ, à prædiis Anglono Galaſi adjacentibus, & ab Iſcha Rotellæ Monachos ejecerat. Quare Andreas Prior Tarentum deſtinatur; qui ex decreto nobilis Viri Gervaſii Iſiaci, ejuſdem Principis Vicarii, nedum titulum Dominii iterùm Monaſterio aſſeruit anno 1296., ſed etiam corporalem adiit illorum prædiorum poſſeſſionem.

1300. Leo Abbas Canonem non ſolutum repetit.

Interim Guido ſenio, & laboribus fractus deceſſit; eique Leo ſufficitur, qui anno 1300. Joannem de Gabilonia Caveoſanum Civem ob non ſolutum Canonem à domo Monaſterii expellere conatus eſt, implorato auxilio Joannis Monfortii; quo ſequenti anno 1031. decedente, Margaritha

(*a*) Santorius Hiſtor. Carbonem fol. 56

(*b*) Regeſt. Monaſterii.

(*c*) Beatillus lib. 6. cap. 9. vitæ S. Nicolai Barens.

Digitized by Google

ritha Belmontia Uxor relicta, paternos titulos in Robertum Droceuſem, cui ſecundò nupſit, dotis nomine tranſtulit, quem cum Roberto Arteſio confunderem, niſi Freccia iſtum (a) primis Caroli primi annis Comitem Caveoſi fuiſſe dixiſſet, & noſter, Carolo II. Regnante, hunc Comitatum fuiſſet adeptus.

Obierat etiam anno 1299. Petrus de Archia Acheruntinus Antiſtes, unde Præſulatus adminiſtratio F. Gentili Ulmio Ordinis Prædicatorum Catanenſi Epiſcopo electo, ut Carolo II. Regi gratificaretur, demandata fuit à Bonifacio VIII. anno 1302.; quo eodem anno ſynodale decretum (b) edidit Gentilis, ut Epiſcopi ſuffraganei, cæterique Diœceſani Prælati ſingulis annis, ſexto idus Septembris, Acheruntiam adirent ad feſtum Deiparæ Naſcentis in Cathedrali Eccleſia celebrandum, quò antea ventitare mos erat, prout his temporibus etiam ſervatur die 26. Maii S. Canioni Epiſcopo dicato. Cui decreto poſt Epiſcopos ſuffraganeos primus ſubſcripſit Leo Abbas Caveoſanus, deinde F. Petrus Abbas Oggiani, & demum Archidiaconus, & Capitulum. 1302. Decretū Archiepiſcopi Acheruntini ſubſcribit.

Non ignoro, Matheranos huic ſcripto inficias ire, tum quia illud referat Cathedralem Acheruntinam Deiparæ Aſſumptæ dicatam, quam ſub invocatione S. Canionis jàm dudum fuiſſe pluribus monumentis evincunt, tùm etiam quia annum 1302. quartum dicat Bonifacii Octavi, cum eſſet octavus. Suſpicari tamen licet, errorem hunc in exemplato irrepſiſſe, vel in impreſſo indiculo S. Rotæ, unde Matherani hoc hauſerunt, & invocationem S. Canionis inditam fuiſſe illi Eccleſiæ poſt hunc annum 1302., cum certum ſit (c) anno 1080. Eccleſiam Metropolitanam Acheruntiæ ſub auſpiciis Beatæ Mariæ Virginis fuiſſe conſtructam. Fratri autem Gentili, qui vix anno abſoluto naturæ conceſſit, Guillelmus Cluniacenſis Abbas, & Doctor ſubrogatus eſt anno 1303., quem poſt triennium à Clemente V. Tullenſi Eccleſiæ deſtinatum, Landulphus ex Epiſcopo Viciæquenſi Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus factus Quod Matherani falſum dicunt.

M 2 exce-

(a) De officio Conestabili. (c) Protospatha in Chronico.
(b) Archivium Acheruntinum.

excepit, & infulas biennio poſt moriens Roberto ejuſdem Ordinis Aſcetæ tranſmiſit.

1304. Jura Avinellæ, S. Salvatoris & Monaſterii tuetur.

Leo autem Abbas, cum novum Comitem pluribus officiis devinxiſſet, & Margarithæ eſſet jàm pridem acceptiſſimus, facilè ab iis reſcripta impetravit anno 1304., quibus incolas Camardæ aliquibus Avinellæ latifundiis inhiantes, officio contineret; Bajulos Montis Caveoſi à moleſtiis hominibus S. Salvatoris, & Avinellæ inferendis, deterreret, & factioſorum temerariam calumniam comprimeret, qui comitibus detulerant, Viridarium Monaſterio adjacens, & quod diù Abbates tenuerant, ad curiam ſpectare. Comites enim edito ſcripto, omne jus, ſi quod eſſet, abdicarunt, & viridarium impoſterum Monachis liberè, uti anteà, poſſidendum dimiſere.

1306. Jurgium cum Hoſpitalariis componit.

Hiſce etiam diebus grave negotium Leoni faceſſerant equites Hoſpitalarii, quos jàm diù latifundiis donaverat in Caſtro Turris Maris Emma Comitiſſa. Cauſabantur enim, Abbatem fines caſalium S. Salvatoris, & Avinellæ longiùs protuliſſe, & magnum terræ tractum Eccleſiæ S. Crucis eorum ditionis occupaſſe. Et quia, ut res componeretur, plures fruſtrà habiti fuerant tractatus, fruſtraque nonnulli electi, qui ex arbitrio decernerent, tandem hoc anno 1306. Robertus de Drocis, Caveoſi, & Squillacii Comes, à F. Joſelmo de Tornello Priore S. Domus Hoſpitalis Baruli, & à Leone Abbate Judex ſtatuitur, qui loca adiens jurgiis obnoxia, privilegiorumque verba, antiquiorum teſtimonio, & fama adſtipulante excutiens, certos limites ſtatuit, intrà quos quilibet ſuos fundos pacificè impoſterùm teneret.

1310. Fines Avinellæ & Camardæ circumſcribi curat.

Hoc autem eodem anno, vel principio ſequentis Margaritha Belmontia improlis deceſſit, & Caveoſanus Comitatus regii juris factus, Petro Gravinæ Comiti, ex Filiis Caroli II. decimo loco nato, cui Tempeſtas agnomen erat, donatur; eo verò Comite, controverſia de finibus Avinellæ, Roberti Droceſis autoritate jam compoſita, recrudviit; quare Leo quietis, & pacis amans, à Roberto Calabriæ tunc Duce, & poſt biennium Rege, reſcriptum impetravit, quo Juſtitiarius jubetur terminis lapideis circumſcribere confinia

finia caſalis Avinellæ, & Camardæ, ne alia ſubeſſet jurgandi occaſio. Camarda autem cum ignobilis Pagus tunc eſſet, in Caveoſano diſtrictu ſitus, bellorum incurſu, aeriſque intemperie deindè omninò deſertus, poſtmodum à Pyrrho Baucio Caveoſano Comite circà annum 1470. iterùm factus eſt frequens, pluribus ruſticis accitis ad fundos illos excolendos. Verùm paulòpoſt Camardenſes veriti, ne eadem aeris graveolentia brevi incolæ conſumerentur, Bernardi de Bernaudo eorum Domini auctoritate ſedes mutarunt, & Pagum à Camarda non valdè diſſitum, ubi aere non adeò inſalubri utuntur, ædificârunt, Bernaudamque in Toparchæ gratiam vocatum, modò Bernaldam appellant.

Sequenti anno 1308. Petrus Tempeſtas Synveſſæ, ac Surrenti Comitatu à Carolo Patre muneratus, Caveoſanam Dynaſtiam, tunc temporis terras Pomarici, Ogiani, Camardæ, Craci, & Montis Peluſii complectentem, Bertrammo de Baucio ſororio ſuo reſignavit, ei namque Carolus Secundus Rex jam filiam deſponderat Beatricem, Azonis Ferrarienſis Comitis viduam; ad id allectus, ut faſſus eſt, tum egregia Juvenis indole, tum etiam præclaris meritis Familiæ; quæ quia noſtro Monaſterio innumera, æternùmque duratura contulit beneficia, jure videtur expoſcere, ut ejus præſtantem nobilitatem, & inſignia decora ſummis veluti labiis attingam.

Bertrammus Baucius fit Comes Caveoſi.

Et quidem Gens Baucia, nedùm in Galliis natali ſolo, ſed etiam in Italia celeberrima ſemper extitit, ſivè Civilium, militariumque munerum tituli, ſivè fortunæ, ac Toparchiarum opulentia, ſivè demùm frequentes cum Regibus, & ſummis Principibus affinitates inſpiciantur. In Galliis enim tantæ erat potentiæ, hæc familia antè annum 1140., ut Baucii Reguli ob Stephaniam Gilberti Comitis Provinciæ Filiam Raymundo Baucio nuptam, Provinciæ Comitatum armis, infelici quamvis ſucceſſu, ſibi conati ſint aſſerere; Maſſiliæque urbis Raynaldus Raymundi Filius, Adelaſia deſponſata, viſcomes evaſerit; & Bertrammus ejuſdem Raymundi Filius ante annum 1170. à Tiburge Aurantii Conjuge Arauſicanum adeptus ſit Principatum; qui in hujus Familiæ ditione fuit ad annum uſque 1410., quando

Maria, Filia, & Hæres Raymundi Baucii, & Joannæ Cebennenſis, dotis titulo eum in Joannem Comitem Cabilonenſem tranſtulit.

Et ne regiæ faſces huic gallicæ Familiæ deeſſent, Fridericus Secundus Imperator ad antiqui Arelatenſis Regni Diadema Gulielmum Baucium Arauſicanum Principem evexit, cujus Nepos Bertramnus, & tres alii ejuſdem familiæ Carolum Andegavenſem in Neapolitana expeditione ſecuti ſunt. Ea propter ſub Regibus Andinis, & Aragoniis, tùm ipſi, tùm eorum Nepotes ad ſummas dignitates, opesque pervenerunt, & inſignes Toparchias adepti ſunt; nedum enim Comitatus habuere Avellini, Soleti, Caveoſi, Vigiliarum, Cupertini, Acerræ, Nolæ, Alexani, & aliarum Urbium, & Andriæ, Venuſiæ, & Neritinorum Ducatum, ſed etiam Tarentino, & Altamuræ Principatu fuerunt inſignes. Ex hac etiam Baucia Domo non ſemel prodiere exercituum Imperatores, & Architalaſſi, ſæpiuſque ſublecti ſunt à Regibus magni Comites ſtabuli, Juſtitiarii, Camerarii, Regiique Conſilii Præſides; quin etiam Baucii fuere Romaniæ Diſpotæ, Achaiæ Principes, & Imperatores itidem Conſtantinopolitani, quamvis temporum injuria armis ſuum jus proſequi nequiverint.

Porrò etiam inſignes titulos referunt hujus familiæ Feminæ, quas inter poterit recenſeri Cæcilia Sabaudiæ Comitiſſa, Sybilla Princeps Pedemontii, Maria Viennæ Delphina, Iſabella Triballorum Diſpotiſſa, & Iſabella, ac Antonia, hæc Siciliæ, illa Neapolis Regina, in cujus Patre Pyrrho tam fæcundæ Bauciorum ſtirpis flores aruere, & decor omnis emarcuit, ut inferius, ægrè licet, dicere cogar; nam modò temporum ratio poſtulat, ut ad lætiora calamus excurrat.

Bertramnus igitur Baucius, Principi Arauſicano ſecundo loco natus, & Regis Arelatenſis, ut prædixi, Nepos, ob bellicam virtutem à Carolo primo duodecim locorum in Samnio Dominus factus, & Avellini deinde Comitatu donatus, præter alios Filios, Bertramnum ſibi æquivocum habuit; qui ob egregiam, quam præſeferebat indolem, à Carolo Secundo cæteris Regulis prælatus, Beatricem filiam,

ut

Digitized by Google

ut ſupra innui, uxorem accepit, dotiſque titulo Andriæ Comitatum, Aquavivam, & Montem Sericum obtinuit, & anno 1308. Caveoſanus Comes creatus, Comes novellus dictus eſt. Nec Caroli ſoceri ſpem fefellit Bertramnus, nam pacis, ac belli artibus excellens, diù Reipublicæ utilem operam navavit, nedùm enim annò 1326. Architalaſſus cum octuaginta ſex triremibus in Fridericum Siciliæ Regem decretus, & ſæpe in Etruria exercitus Imperator ad Guelphos tutandos miſſus fuit, (quod ei Senatoriam Romæ dignitatem comparavit) ſed etiam Magnus Regni Juſtitiarius creatus eſt. Huicque ob ſatis notam juſtitiæ opinionem à Clemente VI. injunctum fuit, ut de Andreæ Regis atroci morte diligenter inquireret, & in tanti criminis reos ex jure decerneret. Inter cæteras autem animi dotes, quibus emicuit Bertramnus, non poſtrema fuit, qua Cœnobium noſtrum coluit, pia liberalitas, quam in ſuos etiam Nepotes, tamquam patrimonium traſmiſit, quæque in hujus Chronologiæ decurſu ingrata oblivione non obruetur.

Erga Monaſterium liberalis.

Bertramni Comitis Frater erat Ugo de Berra, Dominus Montis Fortis, & Piſcinæ. Is Caveoſi commorans à Leone Abbate petiit ſub annuo cenſu ad præſtitutum tempus Caſale S. Salvatoris habere, cujus fines Hoſpitalarii iterum turbaverant. Leo è re Monaſterii eſſe ratus, Ugonis auctoritate eorum moleſtias compeſcere, primò privilegium Emmæ, quo certi latifundiorum, de quibus jurgium erat, limites ſtatuuntur, in publicam formam anno 1310. excribi curavit, tertiò deinde ab hinc anno Ugoni, uti petierat, S. Salvatoris Feudum conceſſit, hocque conſilio tranquillitatem Monaſterio comparaſſe ſibi blandiebatur.

1313. Cujus Fratri Leo Caſale S. Salvatoris locat.

Sed mox anno ſequenti, undè minùs erat timendum, Monachorum pax turbata fuit à Roberto Matherano Archiepiſcopo, qui Diœceſis luſtrandæ cauſa menſe Maii Caveoſum adveniens, Monachis ſacram viſitationis, à qua tunc temporis non erant immunes, indixit, & cum illi, quæ neceſſaria ad id erant ſedulò inſtruxiſſent, Præſulemque, ea qua par erat reverentia excepturi præſtolarentur, ipſe improviſò contrà condictum Matheram regreſſus, per certum nuncium Abbati jubet, ut cum quinque antiquioribus Mo-

1314. & 1316. Et ab Archiepiſcopo Acheruntino ad S. Sedem appellat.

na-

nachis in craſtinum illuc ſe conferat. Sed Abbas Robertum iratum veritus, ejuſque adverſum judicium declinaturus, ad Romanum Pontificem provocavit, mille unciarum auri pęna Archiepiſcopo inflicta (ea tunc erat hujus Diœceſis conſuetudo) ſi appellatione pendente ullam ſibi, ac Monaſterio moleſtiam inferret. Et quia tunc Clementis Papæ V. mors contigerat, & per biennium Sedes Apoſtolica vacavit, Leo appellationis actum, quem hoc anno edidit, anno tantùm 1316. in publicum inſtrumentum redegit, quando Joannes XXII. ad ſacrum Præſulatus apicem evectus eſt; à quo paulòpoſt gravi epiſtola ferox Roberti Regularis Antiſtitis in Regulares ingenium fuit caſtigatum (a), quia etiam Moniales caſtri Gontiani ſuis uti privilegiis prohibebat.

Sequenti anno 1317. levis momenti contractum, permutationis ſcilicet vineæ iniit Presbyter Alexius Monaſterii oblatus cum conſenſu Leonis Abbatis.

1318. Legatum recipit ab Angelo de Berardis.

Anno verò ſecuto 1318. præclariſſimus quidam Civis Matheranus, Angelus de Berardis, Comeſtabularius, & Roberto Regi familiaris obiit, qui huic Monaſterio unciam auri unam legavit; tenue quidem munus, ſi rem ſpectes, inſignis tamen pietatis argumentum fuit, cum omnes pœnè Eccleſias, & Monaſteria Matheræ extantia in ultimis tabulis liberali charitate muneratus ſit. Præter Monaſteria enim Monialium S. Luciæ, & S. Mariæ de Nova, & Aſceteria Monachorum Ordinis Benedictini, nempè S. Mariæ Picciani, S. Salvatoris de Timbaro, S. Mariæ de Armenis, & S. Mariæ de Valle, quod quondam ad Monaſterium S. Euſtachii ſpectabat, muneribus proſecutus eſt etiam Conventum S. Franciſci Minorum Conventualium ab Seraphico Patre conſtructum, Hoſpitale S. Lazari, & Equites hyeroſolimitanos; quibus ea potiſſimùm bona dedit, quæ ipſe Caveoſi, & Pomarici poſſidebat, in quorum equitum poteſtatem paulòpoſt Monaſterium præfatum S. Mariæ de Picciano etiam devenit, cum uſque ab anno 1392. legatur in quodam inſtrumento: F. Ludovicus Præceptor Picciani; quemadmodùm, & illud Timbari à Fratribus Conventualibus modò poſſidetur.

Liber-

(a) Wadingus tom. 3. Annal.

Libertate quoque donavit Angelus quinque ſervos, totidemque ſervas græcæ nationis; & quod mirere, viginti tres Eccleſias Parochiales Matheræ exiſtentes, quibus ſigillatim pecunias, ſacramque ſupellectilem legavit, enumerat; Eccleſiam nempè Cathedralem, quam ſub invocatione S. Mariæ de Mathera deſignat, S. Joannis in Saxo Bariſano, S. Mariæ Veteris, S. Laurentii in Lombardis, S. Stephani, S. Angeli de Civita, S. Mariæ de Donando, S. Petri Saxi Caveoſani, S. Joannis de Mathera, S. Euſtachii propè Domos quondam Magiſtri Roberti, S. Clementis, S. Trinitatis in ſaxo Bariſano, S. Petri Veterani, ideſt Bariſani, S. Joannis de Monterrone, S. Andreæ ad Caſale novum, S. Simeonis, SS. Coſmæ, & Damiani, S. Petri de Morrone, S. Marci ad Portam Civitatis, S. Viti, SS. Chriſanti, & Dariæ, S. Nicolai, & S. Bartholomæi; quarum plures jam diù dirutæ, ne ubi quidem fuerint reſciri poteſt, & aliquæ etiam noſtris diebus Præſule Antonio del Ryo, ſacri loci dignitate fuerunt exutæ. Nec mirùm, tot tunc fuiſſe Matheræ Parochias, nàm in omnibus quoque Regni Civitatibus Parochialium Eccleſiarum numerus excreverat temporibus Regum Andegavenſium, uti narrat Summontius *(a)*, quod factum oportuit ad procacem exterorum militum licentiam cohibendam, extructis enim in ſingulis pænè vicis parochiis, Mulieres non cogebantur ad ſacrum audiendum, & ad alia pietatis chriſtianæ opera exequenda longiùs per Urbem diſcurrere. Plura itidem legavit piiſſimus Angelus grati animi ergo in favorem Philippi Principis Tarenti, & Matheræ Comitis, qui Frater erat Roberti Regis Neapolis.

Leo autem Abbas aſſiduis direptionibus, ac moleſtiis vexatus, quibus Monaſterii bona in caſtro Turris Maris impetebant Equites Hoſpitalarii, & alii finitimi, ut potentioris domini clientela res ſuas muniret, ſtatuit, omnia, quæ Monaſterium in dicto caſtro habebat, locare ad quinquennium ſub annua præſtatione ſex unciarum auri Bertramno Baucio Comiti Caveoſano, qui & eximiis beneficiis Monachos affecerat, & injurias eis illatas non ſemel ſua auctori- tate

1320. Bona Turris Mari ad quinquenium locat.

N

(a) Par.2. lib.3.Hiſtor.Neapoli.

tate ultus fuerat ; ut ipſe Abbas commemorat . Verùm paulòpoſt Leone defuncto , Herculanus poſtremus ex iis, qui Monachorum ſuffragio ad Abbatiam evecti ſunt , Abbas dictus eſt , nihilo apud nos clarior , quam ex inſigni jactura jurium Turris Maris , quam ſub illius Præſulatu Monaſterium feciſſe , adhuc Monachi conqueruntur .

1323. Quæ Herculanus Abbas permutat.

Novus enim Abbas , aſſumpta Monaſterii cura , incertùm quo ſtudio in tranſverſum actus , cum poſſet Monaſterii utilitati egregiè conſulere , veſtigiis inſiſtens aliorum Abbatum , qui ad certum tempus feuda locaverant , maluit anno 1323. perpetuò diſtrahere bona Turris Maris , quæ à Radulpho Machabæo , & ab Emma religiosè donata , vel impoſterùm etiam acquiſita , uſque ad illam diem Monachi poſſederant . Tanti Monaſterio ſtetit , Leonem Abbatem paucos ante annos Ugoni Baucio feudum S. Salvatoris locaſſe; vicini nàmque loci opportunitate excitatus Ugo , ad ejuſdem feudi fines proferendos , Turris Maris jura appetiit , quæ reverà tunc temporis minùs æſtimabantur , ob Philippi de Sus Domini Turris Maris effrænem avaritiam , & petulantiam; quamobrem Ugoni facilè fuit ab Herculano ea omnia impetrare . Et nè Monachi diſpendium aliquod indè incurriſſe viderentur , Ugo permutationis titulo , præter duodecim uncias auri ad Calices , Cruces , & Candelabra argentea , aliaſque ex ſerico eccleſiaſticas veſtes redimendas , quas Leo prò tecto Eccleſiæ reficiendo pignori dederat , repoſuit domos , vineas , latifundia , & cætera , quæ ipſe in diſtrictu Pomarici poſſidebat ex donatione pridem ei facta à Bertramno , cujus donationis exemplar Herculanus hoc eodem anno tranſcribi curavit .

Cum conſenſu Archiepiſcopi.

Veritus autem Herculanus , ne patrimonii Eccleſiæ diſtracti reus aliquando ageretur , multa verborum copia permutationem utilem conatus eſt oſtendere , quam omnium Monachorum conſenſu probatam , ſuo etiam calculo laudavit Robertus Archiepiſcopus ; cui poſt viginti ſex annos præſulatus ſucceſſor datus eſt Petrus de Fele Caveoſanus civis , à Venuſina ad hanc Cathedram translatus anno 1334. , quo labente Benedictus XII. Monachus Ciſtercienſis in ſummum Pontificem cooptatur , Vir antiquæ probitatis , & mo-

na-

naſticæ diſciplinæ apprimè cupidus, qui Regulæ Benedictinæ ſtudium, injuria temporum pænè intermiſſum revocare ſatagens, de reformatione Monachorum nigrorum luculentam edidit conſtitutionem, & Ordinem S. Benedicti per totum orbem chriſtianum in triginta ſex provincias diviſit, in quarum quartadecima Archiepiſcopatus recenſentur Conſanenſis, Acheruntinus, Tarentinus, Brunduſinus, & Otranti Epiſcopatus, cui Provinciæ certè noſtrum Cænobium acceuſitum fuit.

Præcedenti vero anno 1333. Bertramnus Comes utile ſcripſerat privilegium, quò jura Monaſterii à ſuis Miniſtris, & vaſſallis intacta eſſe juſſerat; quinimmò Herculanum Abbatem, quem ſuum Conſiliarium, Confeſſarium, Capellanum, Familiarem appellat, in poſſeſſione omnium Caſalium, & præcipuè S. Mariæ de Cornu, in quo ab Hominibus Appii potiſſimum moleſtiæ inferebantur, ſervari, & defendi præcepit.

1333. A Bertramno Privilegium obtinet.

Petro autem de Fele Archiepiſcopo, qui novennium in præſulatu exegerat, Joannes Cantellus Neapolitanus ex ſacri Palatii Auditore ſubrogatur anno 1343., eumque anno 1362. vita functum Bartholomæus Prignanus itidem Neapolitanus excepit, qui deindè ad Barenſes infulas evectus anno 1377., ad Apoſtolicæ dignitatis culmen nondùm Cardinalis, ob eximiam pietatem, morumque caſtimoniam anno 1378. extollitur, Urbani VI. nomine inſignitus. Et quia Biſantium Morellum matheranum civem, quem Vicarium habuerat, dum Matheræ, & Acheruntiæ præſideret, expertus fuerat virum probum, & juris ſcientia excultum, eundem mortuo jàm Nicolao Acconciamuro Averſano, qui vix annum integrum ſederat, Matherana, Acheruntinaque infula anno 1380. ornavit, exauthorato Jacobo Silveſtri à Clemente VII. Pſeudopontifice præcedenti anno in hanc Sedem intruſo.

Sed antequam hæc acciderent, diem objerat extremum Herculanus Abbas, cujus perſolutis exequiis, Monachi à ſucceſſore deligendo tunc primò abſtinuerunt, conſcii ſanctionis Avenione nuper editæ, qua Majores Eccleſiarum Dignitates in Curia proviſum iri ſtatuebatur. Jure igitur ſuffra-

Herculano defuncto, Petrus à S. Pontifice Abb. ſubrogatur.

ſuffragii amiſſo, Petrum à ſummo Pontifice pronunciatum Abbatem ſortiti ſunt, quem iſtius Monaſterii Aſcetam facile crediderim, cum anno 1320. duo hujus nominis Monachi Caſalis S. Salvatoris, locationi ſubſcripſerint. Sed quicumque tandem is Petrus fuerit, primus Apoſtolicæ Sedis gra-
1358. Qui Privilegium à oberto Principe impetrat. tia dictus Abbas, provinciam ſibi demandatam non inutiter adminiſtravit; nam anno 1357. à Roberto Philippi Tarentini Principis Filio, Caroli Secundi Nepote jus piſcandi in utroque mari Tarentino ſine ullius Pedagii ſolutione, uti antiquorum Principum liberalitate fuerat prius conceſſum, novo ſtuduit corroborari Diplomate, in quo Robertus ſe Imperatorem Conſtantinopolitanum vocat, & Deſpotam Romaniæ (dignitas eſt regiæ æqualis, Imperatoriæ proxima) & Principem Achajæ, magna quidem, vacua tamen nomina, materno jure ei debita. Siquidem Balduinus Secundus poſtremus latinorum, qui Conſtantinopoli imperitaverant, à Palæolago Imperio expulſus, Filium Philippum Curtæneum reliquit hæredem. Hic autem Carolo Valeſio, Philippi Regis Gallorum Fratri, Catharinam Filiam deſpondens, dotis nomine jus ad orientale Imperium tradidit. Carolus igitur gloriæ, & Regni appetens, magno armorum apparatu inſtructus, cum Catharina recens nupta anno 1300. Romam pervenit, in Græciam proximè trajecturus. Verùm imprudenti conſilio, quæ ad Orientis Imperium ſibi aſſerendum arma paraverat, cum in Fridericum Siciliæ Regem vertiſſet, exercitu diminuto, & Siciliam, quam debellare potuiſſet, Friderico ſub quibuſdam conditionibus dimiſſa, in Gallias rediit inglorius; & deſperans hanc Spartam iterùm aggredi, Catharinam Valeſiam Filiam, Matri agnominem Philippo Tarentino Principi cum clariſſimis hiſce titulis dedit uxorem. Robertus igitur Catharinæ major natu, materna jura ſibi armis vindicare aggrediens, cum apparata claſſe in Græciam trajecit, pluribusque non ignobilibus inſulis, ac urbibus Peloponneſi primo impetu receptis (quamvis aliqui ad aliud tempus hoc referant) adeò ſecunda fortuna uſus eſt, ut in ſpem devenerit, Byzantio totius Imperii capite potiundi. Cæterum Neapolitanis tumultibus, importuno ſanè tempore Domum revocatus, paulòpoſt

lòpoſt

lò poſt inopinatò, & contra fidem præſtitam à Ludovico Hungariæ Rege, qui Andreæ Fratris cædem Neapolim ulturus venerat, Averſæ cum aliis regii ſanguinis Principibus anno 1347. comprehenſus eſt, & in Pannoniam relegatus, ultrà tres annos in arce Visgradenſi detentus fuit. Poſtliminio verò reſtitutus, plura Joannæ, & Ludovico Regi ſuo Fratri minori ſervitia impendit; quorum non illud poſtremum fuit, Comitem Minervini, perduellionis reum, Matheræ interceptum, Altamuræ ſuſpendio ſuſtuliſſe.

Intereà prælaudatus Petrus, ut ſarta tecta ſervaret jura Eccleſiarum Gurgulionis, duos ex ſuis Monachis Hoſtilianum deſtinavit cum privilegio Umfredi anno 1082. conceſſo, quod authentico ſcripto exemplari juſſit anno 1358., & anno ſequenti cum conſenſu ſuorum Monachorum quoddam vineale in diſtrictu Caveoſano ſub cenſu annuo conceſſit; quemadmodùm & anno 1360. alium confecit permutationis contractum, cui ſubſcripſit F. Martinus Abbas S. Mariæ Vallis Urſi de Petra Perciata.

1358. Privilegium Umfredi tranſcribit, & duos inie contractus. 1356., & 1360.

Cæterum Ludovico Rege anno 1362. ſublato, Princeps Robertus poſt biennium Neapoli naturæ debitum perſolvit, Philippum Fratrem natu ſecundum, Acerrarum Comitem ex aſſe relinquens hæredem; ſed cum etiam Philippus, nulla relicta prole, anno 1368. occubuiſſet, Tarenti Principatum, & jus ad Orientale Imperium in Jacobum Baucium tranſtulit, ſuum ex ſorore Margaritha nepotem, quam ab anno 1347., Franciſcus Baucius Comes Caveoſanus, Bertramni Comitis novelli Filius deſponderat, cum Odoardi Scotorum Regis jam eſſet relicta. Ex hiſce autem nuptiis id ſtatim aſſecutus eſt Franciſcus, quod primus ex privata Familia à Ludovico uxoris Fratre, & à Joanna Regibus, Ducis titulo inſignitus ſit Andriæ, quam Umberto Delphino pro dote Mariæ Banciæ ſororis tributam, Bertramnus Pater, florenis aureis termille perſolutis, nuper redemerat, & ob id in quodam privilegio Tarentinis indulto, Franciſcus ità ſubſcribit: *Franciſcus de Baucio, Dux Andriæ, & Comes Montis Caveoſi, ac Baroniarum Bitettæ, Theani, & Miſſani, Maritus Imperatricis.* Hac verò nova potentiæ acceſſione parum abfuit, quin

Digitized by Google

quin Caveoſani Baucii, & quæ prius poſſederant; omninò amitterent, & ipſi penitùs derelentur, Franciſcus enim cum ex improvisò Matheram occupaſſet, expulſo Rogerio Sanſeverino loci Toparcha, prætextu, quod ea Urbs Principatus (*a*) aliquando fuiſſet Tarentini, ac proindè ſuo Filio Jacobo deberetur, nedum Sanſeverinios omnes in ſe concitavit, verum etiam Reginæ indignationem incurrit, reſpuens, quod ipſa juſſerat, litem prudentum judicio committere. Cum igitur ad arma ventum eſſet, Franciſcus, & Jacobus, qui in Græciam ſe receperant, perduellionis damnati, omnibus ditionibus ſpoliati ſunt; quibus opportunè Regina ditata, Synveſſam Thomæ Marzano, & Theanum Godefrido pretio ſoluto vendidit, Compſam Malatacchæ Duci, cujus opera uſa fuerat ad Franciſcum armis perſequendum donavit, Principatum verò Tarentinum ſibi detinuit, quem tamen paulopoſt Othoni Bransvicenſi, cui recens nupſerat aſſignavit.

Sanſeverinii verò nedum, quæ à Baucio per vim erepta fuerant, repetiere, ſed multò plura, quæ Bauciorum erant, Reginæ beneficio adepti ſunt, præ cæteris autem Caveoſanus Comitatus anno 1373. Thomæ Sanſeverinio donatus fuit, qui Rogerii Tricarici, & Matheræ Comitis Frater, Pronepos erat illius Rogerii, quem Donatus Matheranus Civis, ut alibi dictum memini, à communi Familiæ clade ſubtraxerat.

1376. Ludovicus Abbas Caſalia Corn, & Avinellæ lccat.

Dum hæc agerentur fatis ceſſerat Petrus Abbas; Ludovicus verò Baldella à ſummo Pontifice ſubrogatus tanto utilior, ac melior in delegata adminiſtratione evaſit, quanto minus aptus futurus videbatur, utpotè ab exteris Regionibus accitus. Hic enim Eugubii in Ducatu Spoletano natus Caveoſum veniens, ſtatim Monaſterii redditus omnes, & jura ſolertiſſimè ſcrutatus eſt, & pro virili ea conſervare, ac augere ſtudens, anno 1376. Caſale S. Mariæ de Cornu, & illud Avinellæ cum juriſdictione in vaſſallos ſub canone unciarum auri decem conceſſit ad unum tantùm annum Petro Raymundi Papali, capitaneo Montis Caveoſi, & Montis Piloſi, ut ejus auctoritate jura dicto-

rum

(*a*) Ammiratus in Sanſeverinys.

rum Caſalium uſurpata recuperaret, & quæ adhuc ſupererant, ne violarentur, prohiberet, ſibi tamen in dictis Caſalibus jus Plateæ retinuit, & aliqua alia, quibus Monachorum commodo, & ſolatio proſpexit.

Deinde Abbas calamitate Familiæ Bauciæ inſpecta, novique Comitis Thomæ Sanſeverinii benevolentia uſus, Caſale S. Salvatoris uſque ab anno 1313. ſub tenui canone Ugoni Baucio locatum ad certum tempus, quod jam diù excurrerat, Monaſterio iterum aſſeruit, idque non ſine ingenti labore, ac gravi diſpendio aſſecutus eſt anno 1378. Ardua quippe res eſt Eccleſiis ſua Bona iteratò aſſerere, ſi ſemel in potentiorum manus, quocumque tandem id ingenio fiat, devenerint; & ſanè ut incommodum hoc, quod ex diuturna præfati Caſalis S. Salvatoris locatione Monaſterium incurrerat, providus Abbas averteret, ac præcaveret, eodem ipſo die corporalem etiam adiit poſſeſſionem Caſalis Avinellæ, decurſo jam tempore annuæ locationis factæ in favorem prælaudati Petri Raymundi. 1378. Caſalis S. Salvatoris repetit poſſeſſionem. Et Caſalis Avinellæ.

Hoc eodem anno aliud grave, nec minus utile confecit negotium Ludovicus cum Jacobo Archiepiſcopo, & Capitulo Tarenti, quod anno præcidenti inchoatum litteræ procurationis Franciſco Factitio Clerico Tarentino ab eiſdem concreditæ oſtendunt. Franciſcus igitur, uti Archiepiſcopi, & Capituli Procurator, Caveoſum adveniens, ſolemnem permutationis contractum iniit cum Ludovico, cui conceſſit in perpetuum nulli oneri obnoxium Anglonem Policeti, acceptis viciſſim à Ludovico pluribus terræ tractibus, & quatuor hominibus cum Eccleſia S. Nicolai ab Umfredo Comite anno 1078. Monaſterio donatis in diſtrictu Caſalis Appii, quod juris eſt Eccleſiæ Tarentinæ. Quare beneficio hujus contractus utraque Eccleſia impoſterùm ſua latifundia ab invicem diſcreta, & certis finibus circumſcripta pacificè poſſedit. Duos alios præterea levis momenti contractus emptionis in Terra Pomarici à Ludovico Abbate celebratos legimus, alterum anno 1386., & alterum anno 1389., ex quo hunc Abbatem nihil prætermiſiſſe fatendum eſt, ut Monaſterii fortunas conſervaret, & augeret. Policetum titulo permutationis acquirit. 1386. & 1389. Et duos alios celebrat contractus.



Digitized by Google

Intereà Franciſcus Baucius Regno expulſus, & injuriæ impatiens, Avenionem ſe contulit, ut Gregorium XI. ſummum Pontificem arcta ſibi neceſſitudine devinctum, ad ſuppetias ferendas induceret. Quare pecunia tùm à Pontifice recepta, tum ex ſuis Ditionibus, quas in Provincia habebat, coacta, non exiguas copias conſcripſit, quibus inſtructus in Campaniam infeſtis ſignis adveniens, ingentem Reginæ, Regnoque timorem intulit, qui opportunè Raymundi Baucii Magni Regni Camerarii opera ſublatus eſt. Ea enim, qua Raymundus pollebat prudentiæ, & integritatis opinione, acriter Nepotem redarguens, debiti in Reginam obſequii commonefecit, eique oſtendit optimum fore, ſi exercitu dimiſſo, Reginæ gratiam deprecaretur, quod ſi non placeret, Gregorio potiùs Pontifice pacis ſequeſtro uteretur. Franciſcus Patrui reverentia, & auctoritate devictus, ſignis dimiſſis, iterum ad pontificiam aulam digreſſus eſt, Gregoriumque deindè Romam ſecutus, ibi uſque ad Urbani VI. Pontificatum perſtitit; Eique auctor fuit, ut Joanna Regina exauctorata, Carolum Dyrrachinum è Pannonia ad Regnum capeſſendum acceſſeret; qua arte ſimul de Regina Joanna ultionem ſumpſit, & Caroli gratiam aucupatus eſt. Porrò cum Carolus anno 1381. Regnum occupaſſet, ſtatim Franciſcum in antiquas Toparchias, Synveſſa, & Theano exceptis immiſit; Jacobo verò ejus Filio, nedùm Tarenti Principatum reſtituit (cum Otho Branſvicenſis bonis, ac libertate privatus, Altamuræ detineretur) & quicquid in Regno poſſederat, ſed Agnetem quoque Reginæ Margarithæ ſororem, & Canis de ſcala Veronenſis relictam matrimonio copulavit, quæ nova Bauciorum cum Rege affinitas, ipſis quidem pernicioſa fuit, Sanſeverinios verò eorum hoſtes, parum abſuit, quin funditus everteret, nàm Jacobus affectati Regni ſuſpicionem incurrens, nedum conjugem amiſit, quæ Neapoli à Carolo detenta, eodem anno 1381. dolore contabuit; ſed ipſe vix evadere potuit, ut Tarentum ſe incolumen redderet, ubi paulòpoſt ſine prole decedens, non ſolùm ſpem ad Regnum jure ſuæ Uxoris Agnetis, verùm etiam Principatus Achaici, & Romaniæ inſignia, nec

non

non jus ad orientale Imperium ſua morte extinxit. Sanſeverinii verò illis nuptiis, quibus Andrienſis Ducis potentia creſcebat, offenſi, à Carolo deficientes, Ludovico Andegavenſi adhæſere, qui valido cum exercitu Regno inhiabat; & quamvis pacem deindè cum Ladislao Caroli Filio ſanxiſſent, defectionis tamen pœnas luerunt, quotquot enim illius Familiæ in manus incidere, in caſtro novo anno 1404. incluſi fuerunt; ibique vel turpi morte ſublati ſunt, uti Thomas, Caveoſanus quondam Comes, ejuſque Filius Gulielmus, etiam Caveoſi Comes dictus, & Gaſpar Lauriæ, & ut aliqui volunt, Comes Matheræ (a), & alii plures, vel vinculis obſtricti diù ſunt detenti, quos inter Stephanus recenſetur Matheræ itidem Comes, libertate tandem donatus anno 1414. à Joanna Ladislai Regis ſorore; paucis, qui Regis manus evaſere, Tarenti, ubi Urſini imperitabant, receptis.

Cæterum Caroli, & Ladislai temporibus, cum Regnum internecinis factionibus conflictaretur, Eccleſiæ quoque, & Monaſteria militari licentia ſunt expilata, qua licentia veluti contagione quadam tacti etiam privati Cives, eccleſiaſtica jura ſusdeque habebant, nihili omninò ducentes res ſacras in ſuos uſus convertere. Cui malo, ut Antonius à Barulo Abbas, Ludovico defuncto jàm pridem ſuffectus, pro virili occurreret, miſeram Monaſterii conditionem ſignificavit Bonifacio IX. Romano Pontifici, qui anno 1400. Cantori Pomaricenſi juſſit, ut ſacri etiam fulminis comminatione (ſi opus ſit) contrà eos omnes ageret, qui Monaſterii Bonis ditati, vel quocumque alio jure obnoxii, detrectarent reddere, quæ ſurripuerant, vel pendere, quæ debebant. Ante quinquennium verò, eodem Bonifacio annuente, Petrus Joannes de Baraballis Neapolitanus, qui Biſantio Morello Matheræ Archiepiſcopo ſuffectus fuerat anno 1392., & F. Stephanus Gobenus Epiſcopus Corinthienſis Inſulas permutarunt ad invicem, cumque Gobenus ſeptem integros annnos Matheræ ſediſſet, Calvenſis Epiſcopus factus, Cathedram Riccardo de Olibano Præſuli Belicaſtrenſi ceſſit anno 1402.

1400. Antonius Abbas a Bonifacio IX. reſcriptum impetrat.

O An-

(a) Ammiratus in Sanſeverinis.

1406. Civibus Hoſtiliani Terras ſub annuo Canone permittit.

Antonius verò Abbas, ut fraudes præcaveret, quæ in decimis perſolvendis nonnumquam fiunt, civibus Hoſtiliani anno 1406. quoſdam fundos decumanos ſub annuo pecuniæ cenſu conceſſit, & anno 1410. Milionici à publico Notario exemplandum curavit latino caractere, quod litteris erat Langobardis exaratum, Diploma Stephani Epiſcopi Matherienſis anno 1065. vel circiter Monaſterio conceſſum, ut alibi dixiſſe memini, & paucos poſt menſes Pomarici ſub annuo cenſu tarenorum octo cum dimidio domum pænè dirutam Nicolao Cappello, & Nicolao de Caſtellaneta Pomaricenſibus indulſit cum conſenſu Nicolai Piſcicelli Patricii Neapolitani, qui Riccardo de Olibano anno 1407. in Matherana, & Acheruntina Cathedra fuerat ſubrogatus.

1410. Et alios Contractus init.

His diebus Franciſcus Baucius naturæ conceſſerat, ſuſceptis ex Margaritha Ludovici Regis ſorore duobus liberis, Jacobo Tarentino Principe, qui Patris mortem occupavit, & Antonia Friderici Tertii Siculorum Regis uxore, Hæredem verò Gulielmum reliquit, quem ei altera conjux Sveva Urſina Comitis Nolani Filia, & Raymundi Principis Tarentini ſoror, pepererat.

1414. A Gulielmo Baucio privilegium obtinuit.

Guliemus itaque Patre defuncto Dux Andriæ factus, & Comes Caveoſanus, Avi Bertramni pietatem erga hoc Monaſterium piè æmulatus, Antonio Abbate, quem ob inſignem morum probitatem ſuſpiciebat, deprecante, omnia Monachorum Bona à quolibet vectigali, Angaria, & præſtatione liberavit, eaque nulli moleſtiæ à ſe, vel à ſuis ſucceſſoribus utcumque inferendæ obnoxia juſſit, ſcripto Diplomate, labente anno 1414.. Quo eodem Ladiſlaus Rex ſine liberis decedens octavo idus Auguſti, ſororem Joannam Regni hæredem reliquit, quæ rerum ſuſcepta adminiſtratione, perpendens quantum ſemper ad ſubditos in fide continendos, vel ad obedientiam revocandos, Regum cum Romanis Pontificibus concordia contuliſſet, quod Caroli Patris, Fratriſque Ladiſlai, qui Urbani VI., & Bonifacii IX. benevolentia opportunè uſi fuerant, exemplo nuper didicerat, potiſſimam in eo curam poſuit, ut ſe Apoſtolicæ Sedi devotam profiteretur. Quare Manfredum Ci-

vem

vem Averſanum Epiſcopum Acernenſem, cujus prudentiæ plurimum tribuebat, ad Concilium Conſtantiæ coactum delegat, ut Joannis XXIII. patrocinium ſibi compararet, à quo etiam poſtero anno 1415. id aſſecuta eſt, ut Manfredus Matheræ, & Acheruntiæ Præſul renunciaretur ob translationem Nicolai Piſcicelli, qui Cathedram Salernitanam moderaturus diſceſſerat. Manfredus igitur Archiepiſcopali munere aſſumpto, ob ſingularem doctrinam, rerumque agendarum experientiam Regiis Conſiliariis accenſitus, nedum in Synodo Conſtantienſi, & deindè ſub Martino Quinto, & Eugenio Quarto graviora Regni negotia procuravit, verum etiam ſuæ Eccleſiæ paſtoralem ſollicitudinem ſedulò exercuit, quouſque civilibus factionibus agitatus ſolum vertere compulſus eſt; quod breviter enarrare haud erit à noſtro inſtituto alienum.

Joannes Antonius Urſinus Baucius, Tarenti Princeps, ob antiquam Bauciorum ſimultatem Sanſeverinatum hoſtis, eorum Ditiones anno 1433., Regina jubente, aggreſſus, primo impetu, Gaſparem Matheræ Comitatu, & Antonium Tricarici, & aliorum Oppidorum Dominio expulit, ulteriuſque victricia ſigna protuliſſet, niſi Joanna tàm illuſtris Familiæ cladem miſerata imperaſſet, ut ab armis ceſſaret, & ablata redderet. Verùm Urſinus Reginæ mandata contemnens, ejuſdem indignationem incurrit, quæ decreto in eum bello anno ſequenti Ludovici Andegavenſis ſtrenuitate Matheram, Caſtellanetam, & alia loca, vi adhibita, recuperat, Antonii verò Caldoræ militaris famæ Ducis aſtu Aſculum, & Andriam obtinet. Ex quo haud ineptè conjicias, Gulielmum Baucium Caveoſi Comitem à Ducatu Andrienſi jàm pridem excidiſſe, cum etiam inter inſignes Toparchas, qui Reginæ Joannæ Secundæ tempore vivebant, Gabriel Urſinus Caſertæ Comes, & Andriæ Dux reponatur. Porrò in fine ejuſdem anni 1434., mortuo Ludovico Andegavenſi, & Antonio Caldora Barium ſecedente, Urſinus metu ſolutus, vix hyeme exacta, Milites legit, & Brunduſina arce primùm ab obſidione liberata, Matheram, & ferè omnia, quæ amiſerat loca, denuò recepit. Quia verò Manfredus Archiepiſcopus, Reginæ addictiſſimus, etiam

Manfredus Archiepiſcopus exulare cogitur.

 ipſa

ipſa è vivis ſublata, acriùs quam par eſſet, Renato Andegavenſi adhærebat contrà Alphonſum Aragonium, quem Tarentinus Matheræ Comes impensè proſequebatur, horum odium in ſe concitavit, undè Mathera, imò etiam toto Regno exulare coactus, ne abſens ſuæ Eccleſiæ deeſſet, Vicarium Acheruntiæ conſtituit, cui utriuſque Diæceſis Clericos ſubjecit. Matherani verò indecorum ſibi ducentes, Acheruntino Vicario parere, F. Madium inſignem Theologum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, & à confeſſionibus Principis Tarentini, Vicarium Adminiſtratorem ſibi præficiunt, qua injuria excandeſcens Manfredus, Matheranos, falſa veris immiſcens, ad ſummum Pontificem defert, quod nimirùm Matherani temerè ab Acheruntinæ Metropolitanæ obedientia ſe ſubtraxiſſent, quod Madium quemdam ſibi conſtituiſſent Epiſcopum, seù potiùs *Idolum, ut Terram Matheræ* (ità ipſe loquitur) *in Civitatem erigerent, & quod eidem Terræ quatuor alia caſtra Diæceſis Acheruntinæ adjeciſſent* in contemptum Sedis Apoſtolicæ. Undè facile fuit reſcriptum ab irato Eugenio impetrare ad Nicolaum Epiſcopum Tricarici, datum Florentiæ anno 1439., quo jubebatur, ut quicquid Matherani attentaverant, proſcinderet, penitùsque everteret.

Cujus loco Madiū Vicarium Matherani ſuſſiciunt.

Attamen cum cognoviſſet Eugenius à Principe Tarentino, juſtas fuiſſe cauſas arcendi Manfredum à cura Eccleſiæ Matheranæ, ejuſdem Eccleſiæ, ac Diæceſis, nempè Lastertiæ, Genuſii, Pomarici, Caveoſi, Criptolarum, Oggiani, & Piſticii, Gubernatorem in temporalibus, & ſpiritualibus elegit Petrum Epiſcopum Motulanum, qui Tarentinæ etiam Diæceſis erat Vicarius Generalis, tributa ei poteſtate alium, ſi vellet ſubrogandi ad idem munus exercendum, expedito Diplomate Florentiæ pridie nonas Julii anno 1440. Petrus autem tertiò poſt menſe à collata ſibi poteſtate, eumdem F. Madium in Eccleſia Matherana, & in ejus jam recenſita Diæceſi Rectorem cum iiſdem prorſùs prærogativis, quas ei Pontifex contulerat, ſublegit, quod ratum, gratumque duxit Eugenius, ut ex ejus litteris apparet, quibus Madium impensè commendat, datis Florentiæ anno 1442., ubi generali Concilio præſidebat,

Qui ab Eugenio IV. confirmatur.

& cui

& cui etiam Manfredus aſſedit ; qui tandem extorris anno 1444. naturæ debitum perſolvit, eique Eugenius Marinum de Paulis Fundanum Epiſcopum è veſtigio ſucceſſorem dedit. Et ut ſubortas ſimultates componeret, F. Madium à Matheranenſis Archiepiſcopatus adminiſtratione ſubmovit, novumque Paſtorem nedùm Eccleſiæ, & Diæceſi Acheruntinæ commendatum voluit, ſed etiam populo Civitatis, ac Diæceſis Matheræ, datis Romæ litteris pridiè nonas Septembris, quas Ughellius Matheranæ Diæceſis inficiator, reluctante licet calamo, profert. Sed idem Eugenius nos admonet, ut domeſticam hiſtoriam proſequamur, quam monumentis deficientibus per plures annos interpolare opus fuit.

Antonio Stephanus Abbas ſuſficitur.

Porrò ob Abbatum Regularium interciſam memoriam, opinemur oportet, circa hæc tempora antiqua pietate, & regulari zelo tepeſcente, ſenſim etiam Monachorum numerum, & rem familiarem decreviſſe, niſi etiam culpare velimus frequentes Regulorum defectiones, quæ totam Apuliam ingentibus cladibus affligebant, & mitè Gulielmi Comitis ingenium, qui generoſos Bauciorum ſpiritus minimè gerens, Monaſterium, quod Caveoſi ocellum, & ſingulare decus abſque invidia dixeris, nefariorum rapacitati, & injuriis patere permiſerit. Ea propter mortuo poſt annum 1414. Antonio Barulano, ultimo Abbatum Regularium, quorum Tabulæ geſta referant, Stephanus quidam, nomine tenus cognitus, Abbatiam aſſecutus eſt, quo defuncto, Eugenius Pontifex, Caveoſanum Monaſterium commendat Nicolao Zachariæ perpetuo Capellano S. Mariæ in Candelabro Ciliæ, Hortanæ Diæceſis, eumque, vel omnium primum, vel certè Stephano ſecundum, ſæcularem Abbatem conſtituit. Qui nulla re apud nos, quam prava rei familiaris adminiſtratione innotuit, quamvis enim adhuc extent duo contractus levis momenti ab eo initi, alter Hoſtiliani anno 1437. tranſactionis, alter Pomarici anno 1439. permutationis, nihilominus apud Eugenium delatus à Balthaſare Baucio anno 1441., quod monaſterii opes in Eccleſiæ cultum, & in alimoniam Monachorum, & Pauperum legatas, ad ſeculares, profanoſque uſus vertiſſet, & bona, pieta-

Stephanum Nicolaus Presbyter ſæcularis excipit in Abbatia.

pietatis opinione ; ac ſanctitatis fama quondam comparata, turpiter prodigeret, & inconſulto Summo Pontifice, cui Monaſterium immediate erat ſubjectum, diſtraheret, Eugenius eodem anno cauſæ cognitionem Joanni Lohier, ſuo Cappellano delegavit, quam deindè anno. 1443. Barnabæ Urſino Salernitano Archiepiſcopo ( Matheranam Eccleſiam adhuc Madius adminiſtaabat ) commiſit, mandans, ut ſi reus Nicolaus deprehendatur, tamquam infidelis adminiſter loco cadat, & officio abdicetur.

Quo dejecto, Balthaſar Baucius fit Abbas.

In ordinem itaque redacto Nicolao Zacharia, Eugenius eodem anno Caveoſanum monaſterium Balthaſari Baucio commendat, Clerico ſæculari, & Prothonotario Apoſtolico, qui arctiſſima ſanguinis neceſſitudine cum Caveoſi Dynaſtis conjunctus, omnium aptiſſimus videbatur, qui regularem diſciplinam pænè intermortuam excitaret, & antiquum fortunarum ſtatum reſtitueret. Verùm Balthaſar perindè atque Æconomus, & non Abbas fuiſſet inſtitutus, omninò paſtoralis ſollicitudinis oblitus, domeſticis tantum rationibus incubuit, cuſtuque divino penitus neglecto, jura tantùm, & latifundia deperdita vindicare curavit ; quo factum eſt, ut monaſticâ diſciplinâ funditus per Abbatis vecordiam ſublatâ, parum in redditibus, ac proventibus per ejus diligentiam Monaſterium profecerit.

1445. Qui à Franciſco Baucio Privilegii obtinet confirmationem.

Balthaſar igitur, Abbas factus, ut quæ voto conceperat, faciliùs aſſequeretur, in eo maximè ſtudium collocavit, ut Gulielmi diploma Antonio jamdudum conceſſum, repetitis litteris roboraret ; ſed quia Gulielmus graviſſima ægritudine laborans, ( parùm ſui compos ) Franciſcum filium natu majorem Balium, & Curatorem, regia auctoritate conſtitutum habebat, ab iſto Balthaſar Gulielmi conceſſionem confirmandam curavit anno 1445., & ex hiſce litteris docemur, etiam Patre ſuperſtite Franciſcum Andrienſem ducem, & Caveoſanum Comitem dictum eſſe, imò Andriæ Toparcham anno 1443. publicis Regni Comitiis eumdem Franciſcum interfuiſſe legimus. Ex quo aliqui perperam ſuſpicati ſunt, Gulielmum ante hunc annum obijſſe, nàm anno 1449. eum inter vivos fuiſſe liquet ex quodam inſtrumento tranſactionis initæ à Balthaſare cum Fran-

1449. Et cum eo tranſactionem init.

Digitized by Google

Franciſco, uti Balio, & Curatore Gulielmi Patris, in quo Abbas abdicat jus, quod habebat in caſalibus Avinellæ, S. Marci, Camardæ, S. Salvatoris, & Murri, quibuſdam tantum uſibus in eis reſervatis, & Franciſcus nomine ſui Patris decimam pollicetur omnium redditumm Curiæ Montis Caveoſi, exceptis iis, quæ à jure ſeminis, demaniorum, & à cognitione cauſarum civilium, & criminalium obvenirent.

1451. Policetum ad perpetuam Emphyteuſim concedit.

Anno verò 1451. Anglonem Policeti, quem Abbas Ludovicus permutationis titulo ab Archiepiſcopo Tarentino adeptus fuerat, Balthaſar ſub tenui cenſu unius unciæ in perpetuam emphyteuſim contulit Angelillo Malvaſio Piſticienſi, & poſt biennium à Nicolao V. Summo Pontifice litteras ad Marſicanum Epiſcopum impetravit, ut is contractum, ſi utilem comperiſſet, apoſtolica auctoritate comprobaret.

1453. Et bona Hoſtiliani, & Gurgulionis uſq; dum ipſe vivat.

Eodem avaritiæ æſtu ductus Balthaſar, hoc eodem anno 1453. quicquid Monaſterium in terra Hoſtiliani, Ciriliani, Gurgulionis, & Aliani poſſidebat, quoad ipſe Abbas eſſet, ſub annuo cenſu unciarum duarum, & tarenorum vigintiquinque dimiſit cuidam civi Oggiani, Abbati Angelo vocato.

1454. Tranſactionem cum Franciſco initam reſcindit.

Præter Franciſcum, alter quoque extitit Gulielmi filius, nomine Petrus, quem Caveoſanum Comitem etiam nuncupatum ſcio, ſed nomine tenus, uti modo plerique Procerum filii paternarum ditionum aliquem ſibi titulum adſcribere ſolent ad honoris tantùm commendationem, & prærogativam, Franciſcus enim ſemper Caveoſi potitus eſt, uſque dum Caveoſanum Comitem filium Pyrrhum pronunciavit, quod paulò ante annum 1454. contigiſſe reor, nàm hoc anno Pyrrhus jàm Comes factus, primum ſuæ erga nos pietatis documentum præbuit, reſciſſa tranſactione à Balthaſare cum Franciſco Duce anno 1449. inita, utpotè Monaſterio noxia, & omninò injuſta.

1455. Et tranſigit cum Pomaricanis pro Gigurio,

Nec minùs inconſulta fuit alia tranſactio, quam hoc eodem anno Balthaſar cum Pomaricenſibus pepigit, illis jus paſcendi permittens in demanio Caſtri Gigurii, cujus tandem noſtris diebus, tertia illis parte relicta, duas re-

cupe-

cuperaſſe gaudemus ; quemadmodum & Policeti latifundium Malvaſio diſtractum ad perpetuam emphyteuſim, quam anno 1455. Nardus Epiſcopus Marſicanus utilem laudavit, & apoſtolica auctoritate comprobavit, non ſine ingenti labore, & expenſis ad Monaſterii dominium anno 1500. tandem revocatum fuit.

Franciſcus Baucius ad S. Pontificem legatus mittitur.

Sed ad Franciſcum redeamus, noſtri Pyrrhi Patrem, qui cum inter proceres magnanimitate, divitiarumque opulentia excelleret, ab Alphonſo Rege delectus eſt anno 1452. ad Federicum Imperatorem Româ Neapolim deducendum. Mortuo verò Alphonſo anno 1458., Ferdinandus ſcriptus regni hæres, cum in ſumma difficultate verſaretur ob denegatam à Calliſto tertio regiæ hæreditatis poſſeſſionem, Franciſcum præ cæteris ſelegit, ut & Pii Secundi recens ob Calliſti mortem inaugurati patrocinium deprecaretur, & regni, uti vocant, ab eo inveſtituram impetraret; quod negotium quamquis implexum, ſumma facilitate Franciſcus explicavit, & abſolvit. Tanti verò beneficii memor Ferdinandus ſtatim gratiæ rependendæ, quam opperiebatur, occaſionem arripuit. Gabriele enim Urſino ſine maſcula prole defuncto, cum ejus filia Maria Donata Pyrrhi Baucii conjux Venuſinæ Civitatis poſſeſſionem, uti paternam hæreditatem confeſtim adijſſet, & Joannes Antonius princeps Tarentinus Gabrielis Germanus frater eam Civitatem ſibi, non autem Fratris filiæ deberi aſſereret, & jam eſſet in armis, Ferdinandus Franciſco Pyrrhi parenti gratificaturus, omnia Tarentini poſtulata, quamvis regiæ dignitati minus decora viderentur, admiſit, ea tantum conditione, ut Venuſinus ducatus Baucio dimitteretur.

Et quia dum hæc agebantur, Pius Secundus Romanus Pontifex Mantuam omnes Catholicos principes invitaverat ad conſulendum de chriſtiana Republica, cujus vertici, occupato Oriente, Turcarum Imperator imminebat; Ferdinandus Franciſci prudentiam, & dexteritatem nupera legatione expertus, eum Jacobo Rathæ Beneventano, & Rovarellæ Præſuli adjunxit, ut in Mantuano Conventu cum cæteris principum legatis adeſſet, regemque paratum

doce-

decerct in Barbaros Bellum indicere. Sed ſpem in Sacro Conventu ab omnibus de Ferdinandi pietate conceptam, Tarentini principis perfidia corrupit, qui ſimulata cum rege concordia in eum præcipuos regulos ad rebellandum ſollicitaverat, & Joannem Renati Andegavenſis filium acciverat ad arma regno inferenda.

Ut verò bellum inſigni aliquo facinore Tarentinus auſpicaretur, Venuſiam, cui Pyrrhus præſidebat, plures armatos noctis ſilentio tectos immiſit, quod Pyrrhus præſentiens, adſcita militum manu à Ferdinando, qui non procul cum exercitu ad Cannas ſedebat, hoſtem Venuſia expulit, & cives factioſos domorum expilatione ultus eſt, utilemque operam toto hoc bello regi navavit; quamvis Tarentinus omnem lapidem moverit, ut eum à Ferdinando divelleret, præcipuè poſt cladem illi apud Sarnum illatam, ob quam omnes pœnè Toparchæ, & Populi regias partes deſeruere. Hac autem conſtanti Pyrrhi fidelitate Tarentinus, vir nullius pœnè fidei, offenſus, omnem humanitatis legem exuit, nàm Mariam Donatam Fratris filiam partui proximam, & variis ægritudinibus afflictam, arcta obſidione intra Minerbinum incluſit. Hæc tamen virilis animi fœmina, experti ducis officium implens, non priùs deditionem fecit, quam extrema omnium rerum caritate oppreſſa ſuppetias deſperaſſet. Nec mitiùs in Franciſcum alterius neptis conjugem egit Tarentinus, quem Aquaviva, aliiſque locis ſpoliatum, Andriæ etiam obſedit; ipſe autem, cum hoſtilem impetum civium benevolentia, & ſuæ probitatis fama potiùs, quàm militum virtute diù repuliſſet tandem omni commeatu prohibitus, ne inutili temporis delatione Andrienſibus excidium afferret, Civitatem ceſſit, honeſtis tamen conditionibus, quarum ea præcipua fuit, ne umquam cogeretur fidelitatis dicere ſacramentum Renato, vel ejus filio Joanni; qui tandem Trojana victoria à Ferdinando obtenta, regno abire compulſus eſt. Et cum paulò antè Tarentinus ſeptuagenario major Altamuræ occubuiſſet, Franciſcus nedùm in bello amiſſa recepit ſed etiam ob grati animi ſignificationem

Pyrrhus ejus filius regias partes tuetur.

Sicut ejus Pater Franciſcus.

P

Ma-

Magnus ſtabuli Comes, & deindè etiam Regii Conſilii Præſes pronunciatus eſt, & Comitatum Vigiliarum obtinuit, ubi anno 1475. inventioni adfuit corporum S. Pantaleèmonis, Mauri, & Sergii, quibus erat addictiſſimus.

1463. Balthaſar Caſale Picochi, & Cornu locat cen[illegible]

Intereà Balthaſar, ut Monaſterii redditus ad uberiorem cenſum redigeret, anno 1463. defenſas Picochi, & S. Mariæ de Cornu ſuis finibus deſcriptas ad quinquennium locavit; ſed ſanè utiliùs vacavit recuperandis eccleſiis, quæ ad Monaſterium pertinebant in Diœceſi Tricaricenſi, & quas ipſe præpoſtero conſilio ſub tenui præſtatione alteri conceſſerat anno 1453., ex quo parùm abſuit, quin omninò perderentur. Nàm Epiſcopus Tricarici arrepta occaſione, quod canones, ab eo præter jus, & fas prætenſi, numquam fuiſſent perſoluti, indicta cauſa,

1471. Eccleſiarum Hoſtiliani, & Gurgulionis poſſeſſionem repetit.

illas Eccleſias cuidam Præsbytero Angelo de Gurgulione contulerat; quod ſpolium ægrè ferens Abbas, Ferdinandi regis opem implorat ut Metropolitani judicio jurgium amicè componeretur. Rex laudato Abbatis conſilio, ac animi moderatione, Acheruntino Vicario (Milionici enim hoc

1474, & 1475.

eodem anno fatis ceſſerat Martinus Archiepiſcopus) anno 1471. mandavit, ut ſi Erberti Epiſcopi quondam Tricaricenſis, & Alexandri Papæ Privilegiis Eccleſias à cenſu immunes Abbas probaverit, eas ab Epiſcopi vindicet uſurpatione. Quod cum impigrè Vicarius feciſſet, Angelus à Gurgulione illius judicium declinaturus à Summo Pontifice petiit, ut Curiæ Epiſcopi Tricarici cauſa committeretur; ſed ejus conatus Euſtaſius de Leone Abbatis Procurator anno 1474. eluſit, plura ſuſpicionum capita contra Epiſcopi Miniſtros afferens, & ad S. Sedis Tribunal provocavit. Quare cauſa iterum delegata Rogerio Epiſcopo Salubrienſi, & Joannis Urſini Archiepiſcopi Tranenſis generali Vicario, ab eo Angelus de Gurgulione anno 1475., uti contumax, fuit condemnatus, & Abbati Prioratus S. Raphaelis Hoſtiliani, & Eccleſiæ S. Mariæ de Pergulo, S. Liberatæ, S. Mariæ de Abbate Lupo, & S. Benedicti Gurgulionis, nec non Eccleſiæ S. Nicolai, & S. Viti fuerunt reſtitutæ; quarum corporalem poſſeſſionem

haud

haud neglexit Abbas per ſuum Procuratorem hoc eodem anno adire.

Mortuo, ut dictum eſt, Marino Archiepiſcopo, & Millonici ſepulto, quamvis Cayvani ejus natali ſolo Cænotaphium habeatur, Henricus Lunguardus Panormita ordinis Prædicatorum Policaſtrenſis Epiſcopus, & Ferdinando Regi à ſacris confeſſionibus, *Acheruntinus Archiepiſcopus, & Matheranus Epiſcopus* à Sixto IV. pronunciatur. Qua epigraphe Matherani offenſi, cum indicta cauſa Archipræſulatus honore, quo ab Innocentio III. dignati fuerant, privati eſſent, ab eodem Sixto, veritate comperta, reſcriptum impetrarunt anno 1472., ut impoſterum Archiepiſcopus dicatur Matheranus, & Acheruntinus, dùm Matheræ, vel in ejus Diœceſi ille moram traxerit, ſecùs verò Acheruntinus, & Matheranus nominetur, quoties Acheruntiæ, vel in ejus Diœceſeos diſtrictu reſidere contingat. Et quia Matherani Cives ſua jura etiam promovebant diplomate, noſtro Monaſterio ab Andrea Archiepiſcopo anno 1219. conceſſo, in quo Andreas ſe Matheranenſem, & Acheruntinum Archiepiſcopum inſcripſerat, hujus diplomatis archetypum ab Abbate impetrarunt, Neapolim ad ſuam cauſam tuendam delaturi, ſed cum, neſcio, cujus fraude in fruſta fuiſſet diſcerptum, Nobiles viri, qui diplomatis reddendi vades acceſſerant, Henrico Archiepiſcopo actores fuerunt, ut ſimile privilegium in favorem Monaſterii conſcriberet. Henricus autem & eorum precibus, & Franciſci Baucii, cui plurimum deferebat, auctoritate permotus, ea omnia hoc eodem anno 1475. confirmat, quæ Andreas illo diplomate Monaſterio indulſerat.

1475. Ab Archiepiſcopo Acheruntino privilegii obtinet confirmationem.

Abbas igitur hoc pacto exemplaris deperditi jactura utcumque reſtaurata, & eccleſiarum Tricaricenſis Diœceſis recuperata poſſeſſione, conatus eſt fundos Vallis Cacciæ, & Vallis Mezanæ ad eaſdem pertinentes, & ab Eligio de Marra Aliani Comite occupatas, impetrato reſcripto Regis Ferdinandi anno 1478. ſibi vindicare. Quod cum aſſequi non potuiſſet, iterùm Ferdinandum adiit anno 1481., &

1478, & 1481. Vallis Cacciæ fundos conatur recuperare.

 alius

alius Judex ad id decernitur ; ſed Eligius de Marra ſtatim oblato regi libello obſtitit , & negotium fuit alteri delegatum , ut ſic dilationem , quæ poſſidentibus ſuffragatur , conſequeretur ; quemadmodum etiam coactus fuit Balthaſar anno 1483. Thomæ Malvaſio Policeti emphyteutæ ad Canonem ſolvendum tempus aliquod impartire.

Anno verò præcedenti , mortuo Henrico Lunguardo , eique ſuffecto in hac Cathedra Vincentio Palmerio Neapolitano , Acheruntini veterem litem Matheranis iterùm indixere . Sed Joannis Aragonii Cardinalis Delegati ſententia pro iſtis interceſſit , quam ſub Leone X. Laurentius Puccius , & Dominicus Jacobacius Cardinales , ob juris ſcientiam clariſſimi , quibus id negotium fuerat commiſſum , comprobarunt , Sixtique reſcriptum , Matheranemque Diœceſim , novo edito à Leone diplomate , die 26. Maii anni 1519. luculenter aſſeruere ; quibus innixum S. Rotæ Conſiſtorium , repetita deciſione (a) , Matheranam Diœceſim , qualem Eugenius IV. anno 1440. diſcripſerat , nequicquam Acheruntinis reclamantibus definivit . Quapropter mirari ſubit Matheranorum oſcitantiam , & ſtupiditatem , qui cum habeant pontificia diplomata , & tres S. Rotæ deciſiones ſibi faventes , ob ſimplex Auditoris Cameræ mandatum ab Acheruntinis ſurreptum , ad hanc uſque diem negligant ſuam Diœceſim invictis hiſce documentis ſibi aſſerere ; quod ſanè nullius foret negotii , ſi ſemel animum ſerio adiicerent ad judicium intermiſſum reſumendum .

**Pyrrhus Baucius in Monaſterium liberalis.**

Sed à moleſtis Matheranenſium , & Acheruntinorum jurgiis opportunè nos revocat gratiſſima principis Pyrrhi Baucii recordatio apud noſtrates perpetuò manſura , ſi eos , vel minimum tangat eximium Monaſterii reſtituti , rei familiaris adauctæ , monaſticique decoris poſtliminio revocati beneficium ; quod eo eſt acceptius habendum , quod non fuit Monachorum , qui nulli tunc erant , ſtudio , vel obſequio paratum ; ſed ſola principis religione , ac pietate conceſſum , qui integrum Monaſterii patrimonium ſub

(a) In Mantiſſa ad de Luca lib. 3. de Juriſd. dec. 11., & 12., & par. 4. diverſ. deciſ. 797.

Digitized by Google

ſub annua penſione centum, & quinquaginta aureorum, ( quis ad tantam inopiam Monaſterium redactum credezet ? ) paucis ab hinc annis locatum poſſidebat.

Porrò totam Italiam opininio pervaſerat inſignis ſanctitatis Monachorum Congregationis S. Juſtinæ, quæ nuper eodem ineunte ſæculo Ludovici Barbi Præſulis integerrimi ſedulitate, ac labore adunari cœpta, collapſam diſciplinam in pluribus Monaſtériis feliciter reparaverat, Ordinemque Benedictinum in priſcum ſplendorem reſtituerat. Et omnium quidem optimè id noverat Pyrrhus, qui dum Neapoli ageret, Aſcetharum in Sanſeverinati Monaſterio degentium eximiam probitatem, morumque innocentiam admiratus fuerat. Ex quo factum eſt, ut fœdior in dies Caveoſani Monaſterii facies ejus oculis obverſaretur, undè cum ſæpiſſimè menti occurriſſet, gratiſſimum Deo futurum, ſi Monaſterii reformationem pro viribus urgeret, ad id operis omnium optimi Juſtinianæ ſodalitatis Patres viſi ſunt. *De ejus reformatione cogitat.*

Communicato igitur conſilio cum Balthaſare Abbate, eum qua precibus, qua auctoritate permovit, ut libere Abbatiam reſignaret, & S. Michaelis hæreditatem jamdiù ab extraneis occupatam, ſineret tandem ad antiquos Dominos redire; ſe promittens curaturum, ut reformationis onus Patres Juſtiniani in ſe recipiant, & quam citiſſimè ad optatum exitum perducant. Idcirco Chirographum ſtatim conſcripſit ampliſſimis promiſſis refertum. *Balthaſarem urget, ut Abbatiam dimittat.*

In ejus exordio profitetur Pyrrhus, ſe pro ſua, ſuorumque ſalute ſtatuiſſe, Patres Congregationis S. Juſtinæ invitare ad Caveoſanum S. Michaelis Monaſterium priſtina regulæ diſciplina informandum, & proindè eos proximè ad generalia Comitia conventuros enixis precibus obſecravit, ut eximium hoc opus aggredi velint, & pollicetur ſtatim, ac certior factus fuerit, ipſos communi decreto in id conſenſiſſe, à Romano Pontifice ſe diploma impetraturum ſuis expenſis, pro unione Monaſterii Congregationi facienda, quin etiam pro prima tantùm vice ſe quoque ſoluturum promittit, quas vocant, annatas, dummodò *1483. Plura pollicetur, ſi Congregationi S. Juſtinæ Monaſterium uniatur.*

Digitized by Google

dò congregatio onus ſubeat Quindennia impoſterùm ſolvendi.

Spondet prætereà omnia Monaſterii latifundia, & quæcumque ſub annua præſtatione à Balthaſare Abbate habuerat, liberè redditurum. Et quia prædictos fundos ad meliorem frugem redegerat, latiſſimiſque olivariis Murri, & Avinellæ feuda recens ditaverat, ingentes ſumptus ad id aſſequendum impenſos numquam ſe repetiturum eſſe pollicetur.

Adjicere inſuper promittit animalium greges, boves nempè lactarias, Bubalas itidem fætas; boves jugales, oves, & ſcrofas. Demùm liberali manu ſe donatione inter vivos irrevocabili daturum profitetur lacum quemdam, vulgò *Pantanum de Lupara* dictum cum Hydromyla, in diſtrictu Genuſii ſitum, quod paucos ante annos Princeps in Monaſterii fundo excavari fecerat, Tarentinis fruſtrà renitentibus.

Quod quam citiſſimè fieri poſtulat. Hanc tamen conditionem Princeps adjecit, ut cunctæ donationes à ſe faciendæ nullæ ſint, ſi umquam Monaſterium Monachis Congregationis expulſis, in Abbatum ſæcularium manus iterùm abjerit. Adeò piiſſimum Principem hujus Domus expilatio, & divini cultus intermiſſio perculerat; undè mirandum non eſt, eum cujusvis moræ impatientem Congregationis Patres in hoc eodem inſtrumento monuiſſe, ut integram Præſidi Generali, & Regimini facultatem impertiantur, nimirùm, ut ſtatim ac per ceſſum, aut deceſſum Abbatis Commendatarii liceat, S. Severini Præſulem ad poſſeſſionem Monaſterii adeundam deſtinent, & certos Monachos ad reformationem inchoandam, & ad Eccleſiam, Cellas, cæteraque Monaſterii ædificia reparanda, vel de novo conſtruenda deſignent.

Tot cumulatis largitionibus ſtuduit Pyrrhus Patres Congregationis ad hanc Provinciam alacri animo ſubeundam allicere, & qui prudenti conſilio Caveolani agri feracitatem, conſtructa pro colonis Camarda, non minimum promoverat, & Caveoſum pluribus Sclavorum, Albanenſium, Græcorumque familiis extorribus accitis, Populi auxerat, ſie-

frequentia, pio quoque ſtudio curavit, ut ad Caveoſanum Cænobium inhabitandum Monachorum Colonia duceretur. Chyrographum autem in Caſali Girifalci Terræ Genuſii Princeps conſcripſit 17. Kal. Februarii anni 1483.; felici quidem omine, die enim S. Mauro ſacra negotium auſpicatus eſt, S. P. Benedicti regulam illuc revocandi, quo S. Placido authore (uti ferunt) primitùs fuerat invecta.

Et quidem Pyrrhus, cum hæc largitus eſt Monaſterio, non ſolùm erat Comes Caveoſi ex indulgentia Patris ſuperſtitis, cujus etiam abdicatione, & Ferdinandi Regis aſſenſu Magnus ſtabuli Comes evaſerat; ſed etiam Genuſii potiebatur, quod ob defectionem Guidonis Moliternii ejus Toparchæ anno 1464. ex ejuſdem Regis munificentia adquiſierat. Princeps quoque tunc erat Altamuræ, anno ſuperiore ſoluto pretio quæſitæ; Comitatum itidem habebat Cupertini jure materno; Ducatum verò Venuſinum, uti diximus, & Acernanum Comitatum jamdiù poſſederat nomine ſuæ uxoris Mariæ Donatæ Urſinæ lectiſſimæ matronæ, quæ uſque ab anno 1481. diem clauſerat extremum, inſigni probitatis, & ſanctimoniæ fama ad poſteros transmiſſa, Venuſiæque tumulata fuerat, ubi adhuc pietatis Pyrrhi luculentum ſupereſt monumentum, Eccleſia nempè Cathedralis S. Andreæ Apoſtolo dicata, in qua hæc leguntur.

*Baucius hanc Pyrrhus illuſtris Dux venuſinam*
*Eccleſiam propriis ſumptibus ædificat.*

Pepererat autem Maria Donata tres filias, nempè Iſottam-Gineuram Marchioni Vaſti, Antoniam Sabionetæ Duci, & Iſabellam Federico Ferdinandi Regis Filio copulatas, & Filium Federicum ingentis ſpei juvenem, qui Comes Acernanus à Pyrrho Patre pronunciatus, Conſtantiam Innaci de Avalos, & Antonellæ de Aquino filiam deſpondit; ſed improlis, acerbo funere patris fatum præveniens, ſponſam avitæ in noſtrum Monaſterium liberalitatis, & beneficentiæ liquit hæredem. Hæc enim Ferdinandi Regis beneficio Caveoſanum Comitatum anno 1507. adepta, plurimum

rimum de noſtro Monaſterio promeruit, uti domeſtica teſtantur Regeſtra.

1483. Cujus Poſtulatis Patres aſſentiunt.

Generalia Congregationis S. Juſtinæ Comitia Padolyrone in agro mantuano eo anno 1483. agebantur die 21. Aprilis. Illuc Pyrrhus exarati Chyrographi tranſmiſit exemplar, Patres enixè precatus, ut Monaſterium Caveoſanum cæteris Congregationis Monaſteriis adjicere, & prò eorum conſuetudine regularem vivendi normam, penitùs ibi proſcriptam revocare non graventur. In Conventu ſummopere laudata eſt Principis Baucii religio, & zelus, nec ejus liberalitas ſua laude caruit: Et apprimè gratum Patribus accidit, aliud in Regno Neapolitano Monaſterium offerri, ubi duo tantùm tunc temporis habebantur, S. Severini Neapoli unum, & alterum S. Angeli Cajetæ. Rogata igitur ſententia, unanimi decreto ſtatutum eſt, aliquos Caveoſum mittendos, qui Monaſterii ſtatum inſpiciant, oblataſque conditiones excutiant, & ſi ē re Congregationis videantur, citiſſimè negotium, prout Princeps in votis habebat, expediant.

Franciſcus Baucius moritur.

Omnium ad id aptiſſimi viſi ſunt Simeon, & Timotheus Abbates, quibus Patres ad conficiendum negotium plenam dedere poteſtatem. Sed quominùs omnia tunc expedirentur moram intulit Franciſcus Pyrrhi Pater, qui ſenio confectus, paulòpoſt nempè ſexto Idus Auguſti hujus anni 1483. occubuit, cæleſti gloria, uti piè credendum eſt, donatus ob eximiam morum integritatem, & innocentiam, quam toto ſuæ vitæ curſu, pluribus licet legationibus ad Principes, & aſſiduis belli, ac pacis negotiis occupatus, forenſibuſque tricis etiam diſtractus, conſtantiſſimè cuſtodierat. Funus celebri pompa, & quod magis eſt, uberrimis ſubditorum amiſſum Patrem deflentium lacrymis elatum eſt, ejuſque cadaver in S. Dominici ædibus, quas ipſe Andriæ conſtruxerat, tumulatum, ad hanc uſque diem incorruptum in quadam lignea arca oloſerico ornata, intrà ſacrarium ſervatur, ubi indebita ſanè tanto Principi reverentia, omnium id poſcentium manibus, quòd & mihi ſemel petenti licuit, contrectandum permittitur.

Præ-

Digitized by Google

Præter Pyrrhum exceperat Franciſcus ex Conjuge Sancia Claramontia Cupertini Comitiſſa, & Iſabellæ Reginæ ſorore, Jacobum, Angilbertum Ducem Neritonenſem, & Ugenti Comitem, & Catharinam, Catharinæ Urſinæ Aviæ Cognominem. Pyrrhus igitur Fratrum major natu, ob Patris mortem antiquis titulis Ducatum Andriæ, Comitatum Vigiliarum, pluresque alias non ignobiles Toparchias adjecit, qua potentiæ acceſſione adeò ſuprà cæteros Regni Dynaſtas conſcenderat, ut regalem ferè celſitudinem attingeret, unde non mirum, ſi Gulielmus Vernaja Regiæ Aulæ Præſes etiam ſe Pyrrhi Conſiliarium dicere gloriaretur. Cui Pyrrhus in Ducatu Andrienſi ſucceſſit.

Brevi tamen Baucia Familia in ipſo culmine magnitudinis conſtituta (quæ rerum humanarum viciſſitudo eſt) veluti fulmine tacta concidit. Cum enim Rex Ferdinandus nulla arte adduci potuiſſet, ut Tarenti Principatum Mariæ conqueſtæ, Principis Joannis Antonii defuncti Filiæ, & Angilberti Baucii uxori debitum redderet, Pyrrhus Fratris querimoniis permotus, & Innocentii Octavi Summi Pontificis, qui cum Venetis, & Regni Primoribus in Regem armaverat, authoritate ductus, cum iisdem fœdus ſancivit. Sed bellici apparatus, quibus Regiæ Copiæ profligari facile potuiſſent, Ferdinandi ſolertia, ejuſque Filii Alphonſi Calabriæ Ducis aſtu diſſipati ſunt, pactis conditionibus Milionici mala fide conſcriptis in quodam Conclavi, quod indè ab eventu: *Sala del mal Conſiglio*, vulgò impoſterum dictum fuit: præfata ſiquidem concordia neglecta Pyrrhus pluribus Civitatibus, & oppidis exuitur, iterùmque dolo malo vir antiquæ probitatis, & candoris, ad amicitiam pellectus, & ad regiam affinitatem invitatus, Filia Iſabella natu minore in uxorem tradita Federico Ferdinandi Filio, & Lucretia ejuſdem Regis Filia ſibi in ſponſam deſtinata; nihilominus tot pacis ſignificationibus, & iteratis ſponſalium vinculis contemptis deceptus, in arcem Caſtri Novi cum omnibus Dynaſtis fœderatis improvisò conjicitur, ubi longa febri ex animi mœrore contracta tabeſcens, anno 1488. interiit mitiori Prin-

cipe, & æquiori fortuna digniſſimus. Angilbertus autem Frater, ejuſque Nepos Joannes Paulus Comes Nohæ, ceterique Baucii, & alii plures optimates anteà in mare præcipites ex eadem arce dati fuerant, quibus cum Pyrrhum quoque ejusdem ſortis participem fuiſſe nonnulli litteris mandarunt, deteſtantes Ferdinandi Regis, Alphonſique Filii ſævitiam, cujus uterque brevi pœnas luit. Ferdinandus enim perpetuis belli motibus agitatus, tandem gallicæ expeditionis in Regnum decretæ metu perculſus, annò 1494. moritur; Alphonſus verò præcipuus execrabilis facinoris author, diris ſpectris perterritus, Regno, quod vix attigerat, abdicato, omnibus inviſus, coactus eſt extorris albo Monachorum cucullo amictus, naturæ debitum perſolvere.

Hoc Bauciæ Gentis excidium reluctanti licet calamo in anteceſſum attigiſſe oportuit, ut jucunda deindè reformationis narratio haud interrupta decurrat, & ut indè ſingulare Dei beneficium erga noſtrum Monaſterium commendetur, quo factum eſt, ut brevi paucorum menſium ſpatio, antequam Pyrrhus civilibus turbis implicaretur, involutum reſtituti Monaſterii negotium fuerit expeditum.

Et Patrem monet, ut Diploma pro unione impetrent.

Pyrrhus igitur curato paterno funere, & domeſticis rationibus compoſitis, Simoni, & Timotheo delegatis menſe Martii anni ſequentis 1484. ſcribit, Abbatem Balthaſarem paratum eſſe Abbatia ſe abdicare, & ſuarum rerum Curatori Romæ in mandatis dediſſe, ut in Curia abdicationis proferret inſtrumentum, & à Summo Pontifice Sixto IV. Diploma impetraret unionis; Ipſi deindè reliqua curent, ut in proximis Congregationis Comitiis citiſſimè omnia poſſint ſtatui ad Monachorum Coloniam Caveoſum deducendam neceſſaria.

1484. Quod Sixtus IV. libens indulget.

Gratiſſimæ Sixto fuere Ferdinandi Regis, & Pyrrhi Principis nomine porrectæ preces; quippèqui Juſtinianam ſocietatem ſpeciali proſequebatur affectu, quam non ſolùm privilegiis muneraverat, ejuſque Regimini plura ſacrarum Virginum Domicilia commiſerat; ſed etiam ampliſſimis

adje-

adjectis Cœnobiis, Parmæ, Ravennæ, Aſtæ, Regii, Ferrariæ, Aretii, nonnulliſque inferioris cenſus ædibus donatis, plurimum auxerat, quare liberam Abbatiæ reſignationem à Balthaſare Abbate factam illicò recipiens, Caveoſanum S. Michaelis Monaſterium Congregationi S. Juſtinæ cum omnibus juribus, redditibus, & privilegiis adjungit, perpetuò ab ea ex Regulæ, ſuorumque Rituum præſcripto regendum, & gubernandum. Quin etiam eidem Congregationi poteſtatem indulget Monaſterii corporalem poſſeſſionem adeundi.

Expedito Diplomate (a) nonis Aprilis anni 1484. & ſolutis à Principe annatis, & quæ vocant, minutis ſerviтiis, Timotheus Riccius à Florentia, Abbas S. Angeli Cajetæ cum Severino ſuo Priore injunctum munus impigrè peracturus, Caveoſum ſe contulit, ubi Pyrrhus eum præſtolabatur, & Cives ejus adventum gratulati ſunt, ſperantes brevi fore ut celebre quondam Monaſterium, ſuis ruinis tunc obrutum, Monachorum ſtudio in ampliorem formam excitaretur.

*Timotheus Abbas Cajetæ Caveoſum adit.*

Certè, niſi adhuc litteræ extarent, quibus Timotheus deploratam Monaſterii conditionem graphicè deſcribit, quis crederet, veterum ædium nihil tunc reliquum fuiſſe, præter parietinas, ex quibus, ſed potiſſimum ex Clauſtri rnderibus, antiqua ejus magnitudo potuit æſtimari? Turris quidem Campanaria ſupererat, quamvis & ipſa vertice minuta, quæ adhuc modo refecta perſiſtit. Eccleſia verò tribus navibus diſtincta, etſi quadris columnis innixa, ruinam minabatur, inferiorque crypta ſub abſide ipſa quoque latiſcebat, nec pavimentum ullatenus lapidibus, aut lateribus ſtratum erat. Ad dexteram abſidis in quodam altari lapideo Sacra Vitalis, Julittæ, & Theodori Lipſana ſervabantur, ex altari verò ad aquilonem poſito, ubi ſepulchrum cujusdam Abbatis extiterat, aliæ Sanctorum Reliquiæ ſublatæ, in ara majori fuerant reconditæ, in cæteris verò altaribus plura Sanctorum nomina inſcripta habebantur, & demum columna choro adjacens hæc referebat:

*Monaſterii deploratam conditio ejus deſcribit.*

Q 2

(a) Bullar. Caſin. p. 2, Conſt. 368.

bat: *Hic Sanctorum requieſcunt reliquiæ Senatoris, & ſociorum ejus.*

Cum verò Eccleſia tot inſignium Sanctorum oſſibus pia veterum Monachorum ſolertia fuiſſet ditata, deteſtanda profectò eſt avaritia Abbatum ſæcularium, qui eam in tantam dilabi pauperiem permiſerint, ut ne ſacræ Veſtes, nec Calices, aut Candelabra, imò neque Crux aliqua, proh pudor! ibi reliqua eſſent. Integra Eccleſiæ ſuppellex (quis credat?) antiquum erat Breviarium, Miſſale, & Sacer Bibliorum Codex in duo volumina diſtinctus, uti Timotheo quidam Frater Marianus Ordinis Prædicatorum retulit, qui tenui ſtipe ad Templi obſequium conductus à Balthaſare, Mercenarii potiùs, quàm Manſionarii partes obibat.

Redditus ità erant diminuti, ut annuus cenſus vix viginti quinque uncias æquaret, & cum omnia generali veluti Cataclyſmo abſorpta fuiſſent, Archangeli tamen Tutelaris beneficio arca quædam è communi naufragio evaſit, quæ nobis chartas incolumes ſervavit, Principum munificentiæ illuſtria monumenta, & jurium Monaſterii invicta propugnacula.

Tam horrida Monaſterii facie Timotheus perculſus animum penè deſponderat, & quid facto opus eſſet anceps animi hærebat. Verùm ampliſſimis Pyrrhi pollicitationibus erectus, & communi civium ſtudio recreatus, mente revolvens, antiquam opulentiam, divino cultu reſtituto, facile redituram, publico Congregationis nomine (ampliſſima erat procuratione inſtructus) ſtatuit Monaſterium recipere. Quare neceſſariis rebus ad corporalem Monaſterii poſſeſſionem adeundam paratis, pridiè nonas Maii Timotheus Abbas, inſtituta ſolemni Clericorum, & Laicorum Deo laudes concinentium ſupplicatione, & ſacro ſolemniter in maxima Eccleſiæ Ara celebrato, Teſtibus rogatis, præ foribus Eccleſiæ Monaſterii conſiſtens, pontificium reſcriptum protulit, & Monaſterium Congregationis S. Juſtinæ membrum à Summo Pontifice factum fuiſſe pronunciavit, Caveoſano Populo, frequens illùc confluxerat, plauden-

dente, & felicia deprecante.

Paucis poſt diebus in generalibus Comitiis, quæ Padolyrone die decima ejuſdem menſis Maii habita fuerunt, Timotheo à Florentia in Regimine Cajetani Monaſterii confirmato, primus è Congregatione Caveoſanus Abbas decretus eſt Lucas Antonius Romulus, ipſe quoque Florentiæ natus, ubi puriſſimis primævi noſtri inſtituti conſuetudinibus, quas B. Gometius, Venerabilis Ludovici Barbi diſcipulus eodem invexerat, imbutus, eas in Monachorum Coloniam, quam Caveoſum deduxit, quamque paulòpoſt ſacræ militiæ tyronibus hujuſce Monaſterii nomine adſcriptis adauxit, uberrimè derivavit.

1484. Ibique Lucas Antonius primus Abbas deſtinatur.

Cæterum quamvis Pyrrhus Timothei diſceſſum ob egregiam ejus virtutis, ac prudentiæ opinionem ægerrimè tuliſſet, attamen præclariſſimas animi dotes admiratus, quæ Lucam Antonium ad Caveoſanum Præſulatum evexerant, nullam amoris ſignificationem, nullum benevolentiæ argumentum omiſit, quo ei gratificaretur, quin etiam extemplò Monaſterii latifundia, quæ precario ab Abbate Balthaſare, uti prædixi, obtinuerat, in Monachorum dominium remittens, lacum quoque cum Mola Aquaria tradidit, & cætera, quæ ſuo Chyrographo pollicitus fuerat, locupletiſſimè ſanctèque præſtitit, uti legimus in inſtrumento menſe Decembris ejuſdem anni 1484. rogato, quod religiosè ſervamus, cum poſtremum fuerit teſtimonium ingentis, quam in nos Pyrrhus exercuit, liberalitatis, & addictiſſimæ quoque venerationis, qua toto ſuæ vitæ ſpatio Archangelum Michaelem proſecutus erat, cujus certè patrocinio, quam vivens nequiit ob temporum calamitates mercedem nanciſci, cumulatiorem, nec umquam interituram mortuus aſſequi, uti ſperamus, promeruit.

Cui Pyrrus, quæ pollicitus fuerat, præſtitit.

Lucas Antonius autem qua erat rerum agendarum dexteritate præditus, extemplò vetera ædificia reſtaurari, & nova excitari jubet; rem agrariam, potiſſimum familiaris opulentiæ caput, viris hujus negotii expertis committit, ad latifundia, & jura, vel occupata, vel deperdita, certos præficit Procuratores, ipſe verò præcipuum demanda-

Novus Abbas monaſterii ruinas reficit.



Digitized by Google

tæ provinciæ munus ſibi aſſumens, regularem diſciplinam, monaſticumque cultum, nec non litterarum ſtudium, quà verbo, quà exemplo ſedula contentione adeò feliciter promovit, ut Monaſterium hoc brevi quatuor annorum ſpatio *Schola evaſerit virtutum, & micans Sydus inter nebulas*, ut verbis utar Federici Principis Aragonii, qui Pyrrhi ditiones jure ſuæ uxoris Iſabellæ Banciæ ejus Filiæ aſſecutus, dùm Caveoſi moraretur anno 1488. Monachorum pietatem, & ſeveram vivendi rationem præſens admiratus, luculentam iiſdem texuit Panegyrim in ſuo privilegio nobis munifice conceſſo, quod omnium Diplomatum ab aliis Principibus indultorum nedùm ſynopſis eſt, ſed etiam ampliſſimum Auctarium, & nefas fuiſſet tàm eximium Federici benificium vel obiter non indicare, quamvis collatum fuerit poſt annum 1484., ad quem tantùm noſtram Chronologiam deducere fueram pollicitus, quod Deo favente, utcumque præſtitiſſe confido.

F I N I S.

A P.

Digitized by Google

# APPENDIX
## IN QUA
# PRIVILEGIA SELECTIORA
## EX IIS, QUÆ REGALI MONASTERIO
# S. MICHAELIS
## ARCANGELI
## DE MONTE CAVEOSO
## *Principes Conceſsere.*

### NUM. I.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Anno milleſimo ſexageſimo* quinto, anno ſecundo Regni Domini Iſachi Imperatore noſtro, menſe Januario Inditione tertia. Ego Stephanus miſericordia Domini Epiſcopus S. Sedis Materienſe Eccleſiæ, una cum conſenſu Cle- 1065
ricorum noſtrorum, ideſt Folio Archipresbitero, & Mel. Sacerdos, & Paramanſarius, & Benedictus Archidiaconus, & Ruſſus Imperialis Critis, & Joannes Cantor noſter conceſſi, & confirmavi, ſeu adlivertavi dacionem, & tradicionem Eccleſiæ S. Dei Genetricis Mariæ, quam Gualterius Viſcomite, & Unfreda Comite Civitatis Betere Montis dederunt, & tradiderunt Monaſterio S. Michaelis Archangeli in manibus Stephani Abbatis ejuſdem Monaſterii, & ſuis Fratribus, quam ipſis prædictis Comitibus conſtruxerant intus in hac Civitate Betere Montis, & me etiam poſtulaverunt, ut ipſam ædificarem in honorem ſupradictæ S. Dei Genitricis Mariæ, vobis qui ſupra Stephane Abbas, & veſtris Fratribus totam integram præfa-

tam

Digitized by Google

tam Eccleſiam, ſicut ſuperius dixi conceſſi, & confirmavi, ſeù adlivertavi vobis illam, funditus, ut amodò, & deinceps omni futuro tempore ſit in veſtro dominio, & de veſtris ſucceſſoribus maneat poteſtate, ſine omni mea requiſitione, meiſque ſucceſſoribus, quoniam nullum cenſum, & nullum datum in ea nobis reliquimus ad exigendum, neque meis Poſteris ſucceſſoribus in prædicto noſtro Epiſcopio. Set omni tempore libera, & abſoluta permaneat ſine omni contradictione noſtra, noſtrique Epiſcopii, & Rectorum ejus. Tam vobis, quam & veſtris ſucceſſoribus, ità ut licentia ſit vobis in ea omnem ordinem Eccleſiaſticum facere, ſcilicet Parrochiam habere mortuos ſepelire, fontem, & cereum benedicere, & poteſtatem baptizandi penitentiam dare, & omnem Ordinem Eccleſiaſticum facere ſicut conſuetudo eſt ſervis Chriſti in Eccleſiis facere, & Presbiteros, quos in ea ordinatos habueritis, ut ſint liberi ab omni ſervicio, & non habeamus poteſtatem illos excomunicare, neque nos, neque ſucceſſores noſtri, ſet tantum ſub ſinodali noſtro ſubaudiantur judicio. Et ſi forte Ego qui ſupra Pontifex, ſive quiſpiam ex meis ſucceſſoribus irritam facere voluerit, hæc mea confirmatio, paccio, ſive obbligatio, prò qualivet ratione, & non permanſerimus in ea ſicut ſupradictum eſt, primis omnium queſtio noſtra inanis, & vacua ſit, inſuper & culpabiles ſiamus ſolidi quinquaginta, & in donnico aliis quinquaginti, & taceamus adverſus vos omni tempore permuti, itaut carta hæc conceſſionis, & obbligationis ſupraſcripta in tempore ſuo ſirma, & ſtavile in perpetuum remaneat, Eo Ròoſus pt. not., & Abbas S. Eccleſiæ Materienſis taliter ſcribere juſſi in menſem, & indictione prætexatis, & me propriis manibus meis ſubſcripſi. ✠ Stephanus qui ſupra gratia Domini Epiſcopus S. Eccleſiæ Matherienſis ✠ Archipresbiter qui ſupra Folius S. Matherienſis Eccleſiæ ✠ Mel. Sacerdos, & Paramanarius ✠ Ruſſus qui ſupra Imperialis Critis ✠ Archidiaconus, qui ſupra Benedictus S. Materienſis Eccleſiæ ✠ Joannes Cantor Materienſis Eccleſiæ.

NUM. II.

## NUM. II.

✱ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus milleſimo ſeptuageſimo octavo menſe octuobris primæ Indictionis. Notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Genitricis Matris Eccleſiæ, quod Ego Umfredus Normannorum genere ortus Comes videlicet Montis Scabioſi, Eccleſiam Sanctæ Mariæ Virginis cum caſale de Cornu, & S. Joannis Baptiſtæ cum omnibus pertinentiis ſuis. 1078

In primis de ipſo vado de Flumine Vaſenti, qui cognominatur de Sancta Maria, & aſcendit per ipſum vallonem ſurſum uſque in frontem de ipſa Serra, & de ipſa Serra recto intuitu per eumdem vallonem uſque ad viam publicam, quæ venit de Appio, & vadit in Sancto Theodoro, & inde per eamdem viam uſque juxta lacum, ubi eſt Quercus, & Calapricus, & de ipſo lacu, quomodo vadit rectè, & deſcendit ad magnum vallonem, & per ipſum vallonem uſque ad fontem de Ilice, & de ipſo fonte quomodo deſcendit per limitem groſſum uſque in ipſum fluvium Vaſenti, & vadit per ipſam aquam de ipſo flumine uſque ad præſcriptum vadum de Sancta Maria. Infra hos ergo fines omnes ipſas terras cum prædicto Caſali, & ipſis Vineis, & cum omnia infrà ſe habentia, vel continentia, cum tranſitu, & exitu ſuo, & S. Nicolaum de Appio cum tenimento, & pertinentiis ſuis, videlicet ab ipſa Eccleſia aſcendit in frontem, & per ipſos frontes quomodo rectè deſcendit in flumine Vaſenti, & vadit per ipſam aquam fluminis uſque ad Garambam ubi eſt quercus ſignata ſigno Crucis, & indè aſcendit recto tramite uſque ad Jugones, & planitia Sancti Petri, & per ipſam planitiem pergit ad viam, quæ venit de Sancto Baſilio, & per ipſam viam uſque ad prædictam Eccleſiam; Infrà hos ergo fines cum terris cultis, & incultis, & vineis infra ſe habentes, & etiam quatuor homines cum domibus ſuis dedi, & obtuli Sancto Michaeli de Civitate Veteris Montis Scavioſi, annuente Epiſcopo Benedicto de Civitate M. cum Clericis ſuis in cujus Diœceſa conſtat, & annuente Roberto Epiſcopo Tricaricenſis, qui propriis ma-



Digitized by Google

nibus ſuis Eccleſiam concedente Deo ſacravit, ac etiam eo tibi eam Abbatis Sancti Michaelis Simeoni nomine, atque Monachis omnibus, eorumque ſucceſſoribus tradidi, quod nec Ego, nec hæredes mei, vel ſucceſſores umquam ſuper has Eccleſias cum Caſali ſuo, neque ſuper earum pertinentiis, vel tenimentis, & terras præſcriptas moleſtiam, & Calupniam inferamus, & quicumque eis auferre voluerit, aut ſubtrahere has Eccleſias cum præſcripto Caſali, ac etiam vineis, & Terris cum ſuis pertinentiis, vel tenimentis à poteſtate præſcripti Abbatis S. Michaelis, vel ſuorum ſucceſſorum ſit ſub anathemate ejuſque nomen deleatur de libro viventium, & nobis noſtriſque hæredibus, vel ſucceſſoribus perſolvat libras auri ſeptem, totidemque in prædicto Monaſterio Sancti Michaelis, & ideo hanc cartam ſcribere feci Joannem Clericum Judicem, & proprium noſtrum Notarium, ac Tipario noſtro in plumbo bullari juſſi in qua etiam propria mea manu ſignum Sanctæ Crucis ſubſcripſi menſe, & Inditione prælatis ✠ R. Epiſcopus ✠ Benedictus Epiſcopus ✠ Signum manus Umfredi ſenioris de Monte Scabioſo ✠ Ego Nicolaus Presbiter omninò affirmo ✠ Ego Stephanus filio Muſandi ſacer teſte ſum ✠ Ego Bernardus Presbiter teſtis ſum ✠ Joannes Presbiter Acherontinus hoc teſtificor, & confirmo ✠ Biſantius Presbiter hæc confirmo.

## NUM. III.

1082 IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: Anno Incarnat: ejuſdem milleſimo octuageſimo ſecundo menſe Februario, quinta Inditione Ego Umfredus Normannorum ortus genere Comes videlicet Montis Scabeoſi ſæpè, multumque actus noſtros præteritos mecum reputans incongrue ductos, mundique figuram labilem & vacuam cum ſuis oblectamentis, prorſus niſi ſolam imaginem mortis ſecum ferentem; demum, ut credo cælitus inſpiratus toto niſu mentis captus delectatione futurorum, aliquid de præteritis non bene geſtis actibus emendare diſpoſui, & pro meorum abolitione peccatorum, atque ſalute meæ animæ ad

Dei

Dei omnipotentis laudem opus quoddam valde conveniens, & congruum aggreſſus ſum peragere. Igitur roboratus conſilio, & auctoritate Domini Arnaldi Archiepiſcopi, & aliis viris nobilibus ſubſcriptis teſtibus, in quorum præſentia accepi in manibus meis ſacrum Evangeliorum librum, & per ipſum obtuli, immò tradidi in primis Deo, & Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli, & tibi Domine Simeon Abbas Reverentiſſime ejuſdem Cænovii tecum recipiente Petro Judice tuo Advocato, Eccleſiam Sanctæ Reparatæ de Gurgulione, cujus iſti ſunt fines. Primus finis à capite Vallonis, qui mittit in ipſo flumine Acenello, & quomodo currit aquam ipſius fluminis uſque in via, quæ venit de Gurgulione; ſecundus finis, quomodo aſcendit ipſa via, & vadit uſque ad ſerricellam, quæ eſt in capite culturæ ipſius ſupradictæ Eccleſiæ. Tertius finis verò ab ipſa Sericella quomodo deſcendit uſque ad fontanam, quæ eſt in via quæ venit de Ciriliano. Quartus namque finis ab ipſa fontana, quomodo vadit per ripam fluminis uſque in capite prædicti Vallonis, qui mittit in jam dicto flumine. Optulimus etiam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Abbate Lupo; Cujus iſti ſunt fines. Primus finis à capite Vallonis Fravittæ, qui mittit in Acenello, & quomodo currit aquam ipſius fluminis, & vadit ad Vallonem Kuri Baſili. Secundus finis ab ipſo Vallone Kuri Baſili, quomodo ſalit ad Vallem Paſtinelli. Tertius verò finis à vale paſtinelli quomodo ſalit in Pirigo. Quartus namque finis, quomodo deſcendit de Pirigo, & vadit ad fontanam Fravittæ, quomodo currit aquam ipſius fontanæ per medium vallonem Fravittæ, & mittit in Acenello jam dicto flumine ſimul etiam optulimus Eccleſiam Sancti Benedicti de Acena, cujus iſti ſunt fines. Primus finis à vado fluminis Acinelli, ubi ſtat ſaxum magnum, quomodo currit aquam ipſius fluminis, & mittit ad flumen Sorani. Secundus finis, quomodo deſcendit per medium Alveum ejuſdem fluminis, & vadit ad cupam. Tertius verò finis, quomodo deſcendit de cupa, & vadit ad Albetinam ubi eſt Riccioncellum. Quartus namque finis, quomodo deſcendit de Albetina, & vadit ad prænominatum vadum. Infra hos autem fines

R 2 in-

inclitas ipſas Eccleſias cum omnibus ſibi pertinentibus terris, vineis, arboribus, aquis, paſcuis, & quantumcumque ad eaſdem Eccleſias attinent, hæc omuia tradidi tibi, atque optuli Deo, & præfato Cænovio Sancti Michaelis Archangeli ſemper ad poſſidendum tam tu, quam omnes Abbates ſucceſſores tui, vel Monachi ipſius ſacri Cænovii uſque in æternum teneatis, & poſſideatis ſecurè ex noſtra parte, & noſtris hæredibus, & ſucceſſoribus, & ab omni humana perſona, neque aliquis in hoc, quod modo egimus fraudolenter aliquid, vel doloſè arbitrerur nos perpetraſſe, niſi ut ſupra relatum eſt. Sed Dei omnipotentis confiſus firmiter ut credo, & ſpero, miſericordiam quod ab inferis cruciantibus me eripiat, & ad æterna gaudia perducat. Quod ſi inſtigante Diabolo, hoc quod modo egimus prò noſtræ animæ ſalute, ſive ego, ſeu noſtri hæredes, aut parentes, vel ſucceſſores, aut quiſpiam hominum à præfata domo Dei removere, & auferre conati fuerimus, in Dei examine cum eis qui ad ſiniſtram partem ejus erunt audiamus illam terribilem vocem ite maledicti in ignem æternum, nec adjutorium, & miſericordiam à Deo in præſenti ſæculo, & in futuro conſequamur, & ad confirmandum hunc noſtrum actum, manu propria ſupter ſignum Sanctæ Crucis feci. Inſuper Notario noſtro Joanni juſſi hanc offericionis cartam ſcribere menſe, & Inditione prælatis ✠ Ego Arnaldus Archiepiſcopus confirmo ✠ Signum propriæ manus Domino Goffridus Comite de Cuberrano ✠ Signum propriæ manus Domino Umfredo Comes ✠ Signum manus Gofredus Filius Domino Umfredus Comes ✠ Signum manus Domino Rao Machabaeo ✠ Signum manus Aſgotto.

## NUM. IV.

1802 ✠ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: Dum Ego Umfredus miſericordia Dei omnipotentis, prout Deus vult Comes Montis Scavioſi, ſollicitus perquirerent, & cogitarem intimo corde qualiter aliquod boni augeri Monaſterio Sancti Michaelis Archangeli, cauſa remedii noſtræ animæ,

no-

noſtrorumque parentum, eòquod ipſum Monaſterium videbatur habere hæreditatem parviſſimam, & non valebat ſe ibidem regere ad eorum utilitatem, tunc divina iſpiratione vocari feci domnum Simeonem, magnificum Abbatem, & coram noſtris equitibus, & idoneis ſubſcriptis teſtibus. Conceſſi, atque per fuſtem tradidi, bona cum mea voluuptate ipſi ven: Abbati Domno Simeoni, qui recepit vice ipſius Monaſterii una cum advocato ſuo Petro Judice, hoc eſt mediam hæreditatem de Murro; Illa videlicet de illa parte ipſius fluminis Bradani, cujus iſti ſunt fines: Primus finis ipſa quercus, quæ ſtat in ipſo flumine, quæ eſt ſignata ſigno Sanctæ Crucis, & quomodo ferit ubi eſt fictus ipſo termine à manus hominum, & aſcendit rectè per ipſi termini ficti, & ferit in ipſa quercus, quæ eſt ſignata ex ſigno Sanctæ Crucis, & uno termine ficto in pede de ipſa Serra, & quomodo aſcendit rectè, & ferit in ipſa Serricella ubi eſt fictus ipſo termine de petra, & aſcendit rectè ad ipſa frons mediana de Gravina dònica, & ab ipſa mediana frons vadit, & ferit rectè uſque in capud de gravina donica in ipſo limite groſſo, & quomodo vadit prò ipſo limite groſſo, & ferit in ipſa gravina de Sancto Vito, uſque iu ipſa via de Appio; Secundus finis quomodò vadit per ipſa via de appio uſque in ipſe carambelle: Tertius verò finis, ab ipſe Carambelle, & deſcendit per ipſo rivo aquæ currentis, & vadit per ipſo limature, & deſcendit per ipſo ſtricto uſque in ipſa aqua bradani: Quartus finis quomodo aſcendit per media ipſa aqua de ipſo bradano, & vadit ad ipſum vadum, qui dicitur de garambe, & ab ipſo vadit vado, & circumgirat totam caudulam, quæ dicitur de Godo, & ferit in ipſo fraſſino, qui ſtat juxta jam ſupradictam petram. Infra hos ergo fines incluſam ipſam medietatem ſupradictam de Murro cultum, vel incultum donavi, atque conceſſi tibi, tuiſque ſucceſſoribus ò prædicte Domne Abbas, ut habeatis, & poſſideatis, & dominetis illud primo ipſo præfato Monaſterio ſine contrarietate, & requiſitione mea, meorumq; hæredum, meorumq; ſucceſſorum, vel omnium hominum, & ſi aliquando adveniente tempore, Ego vel mei hæredes, vel mei ſucceſſores,

vel

vel quiſpiam noſtrorum Ordinatorum querere, aut contradicere, quel quolibet excogitato ingenio tollere ipſam jam dictam hæreditatem ab ipſo Monaſterio per inſtigatione maligna, primitus habeamus anathema ab omnipotente Deo, & a Sanctis ejus omnibus, & conſortium cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti; his itaque preordinatis pro cauſa, memoriæ, & ſecuritatis ipſius Sancti Monaſterii juſſi ſmaragdo meo Notario ſcrivere hoc membranum noſtræ Conceſſionis, & etiam ſignum Sanctæ Crucis propria manu mea ſubſcripſi. Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo octogeſimo ſecundo, menſe Februario Inditione quinta.

✠ Signum manuum Umfredo Comiti

✠ Signum manuum Goffridi fil. ejus

✠ Signum manuum Rao filii Umfredo Comiti ✠ quod cernis ſcriptum hoc firmat petrus id ipſum

✠ Signum manuum Gualterii vis Comit.

✠ Signum manus Michaeli

## NUM. V.

1083 ✠ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo octuageſimo tertio menſe Januario Inditione V. Ego Unfredus Nommanorum ortus genere Comes videlicet Montis Scavioſi cum animadverterem actus noſtros incongruos, & ſcrutatus eſſem mundi oblectationes quibus irretitus eſt à pluribus, quæ non decuerant; tandem divina Inſpiratione, ut credo emendare niſus ſum aliquid præteritorum actuum, & pro meorum remiſſione peccatorum, atque ſalutem animæ, opus aliquod pertinens ad eum peragere: propterea conſiderans quemdam locum, quæ vocatur avena, ubi olim cæpi conſtruere Caſale ad habitationem hominum, quin etiam & ibidem conſtruxi Eccleſiam, & ædificare feci in honorem Sancti Evangeliſtæ Joannis, quod nullatenus perpetrare potui, ut habitatio hominum illic proficeret; Reperto demum conſilio credo meliore, decrevi omnem illum locum prædictum antiquo Cænovio, ac regulari Sancti Michae-

chaelis Archangeli ſito in Civitate veteri Montis prædicti Scavioſi: Et quia ſcriptum eſt omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pænitebis, conſulere in hoc ſtudui Patronum noſtrum, & Archiepiſcopum Domnum Arnaldum. Simul & montanenſes Nobiles, & mediocres, quod omnes uno animo laudaverunt, atque ut id ita efficeretur, & rogavere, & conſenſere, roboratus igitur conſilio, & auctoritate ejuſdem Archiepiſcopi, illicò præſentibus ſubſcriptis idoneis teſtibus. Immò ut dixi conſenſum præbentibus, accepi in manibus Sacrum Evangelii librum, & per ipſum obtuli, immò tradidi primis Deo, & Eccleſiæ Monaſterii prædicti Sancti Michaelis Archangeli, & tibi Domne Simeon Reverendiſſime Abbas ejuſdem Cænovii recipiente tecum tuo advocato Petro Judice, primùm ipſam Eccleſiam Sancti Joannis Evangeliſtæ, quæ ſita eſt, ut prælatum eſt in eodem loco avenæ. Et ipſum totum caſale avenam cum omni ſua pertinentia, & diximus fines, primus finis ipſo vallonem de Sancto Angelo, qui mittit ad ipſum baſentum, & aſcendit ſurſum uſque in via, quæ venit de vena, & vadit ad Sanctum Angelum, & deinde pergit juxta ipſe ſtirpine, & pergit uſque ad ipſum lacum, qui eſt in via, quæ venit de Appio, & graditur in prædicta avena. Et de ipſo lacu pergit recte ad ortum de roſſamanno, & quomodo aſcendit ipſo vallonem de Cainarda, & exit ad viam, quæ venit de Appio, deinceps pergit ipſa via, & vadit uſque ad garambellas, & deſcendit exindè per ipſum vallonem, & vadit per limaturas, & ferit inſtrictum, qui eſt inter ipſas limaturas, & girmenianum, & quomodo deſcendit exinde ipſa aqua, & vadit in bracdano: Secundus finis quomodo currit aqua bracdani uſque in mare: Tertius verò finis eſt ipſum mare, uſque in faucem baſenti: Quartus namque finis à fauce baſenti quomodo aſcendit per mediam aquam prædicti fluminis uſque in præſcriptum Vallonem Sancti Angeli: Infra hos autem fines, terras, vineas, arbores, aquas, paſcuis, & quantumcumque in eandem avenam, ſeu in marina attinet ex ea totum obtuli, & traddidi prædicto Cænovio, & præſcripto Abbati ſemper habendum, & poſſi-

den-

Digitized by Google

denuum, tàm de piſcatione maris, quam, & fluminum, & lacuum, & de naufragio navis, & de portu maris, & fluminis, atque de Piazza, & inventione ſervi, vel alicujus rei comprehenſione *ſeu venatione*. Ex his omnibus, cunta optuli, & tradidi prædicto Cænovio ſicut ſupra continet ſemper habendum, poſſidendumque, ut tam tu prædictæ Abbas, quam, & omnes Abbates ſucceſſores tui, vel Monachi ipſius Sacri Cænovii uſque in ſempiternum teneatis, & poſſideatis ſecurè, & nos, & noſtri hæredes vobis defenſores omni tempore ab omni humana perſona perſiſtamus. Neque enim aliud quodlibet in hoc quod modo egimus fraudulenter doloſe arbitretur perpetraſſe, niſi ut ſupra relatum eſt Domini Dei ductus amore, & timore cujus poſſe eſt credo firmiter, & confido eripere nos ab Inferni cruciatibus, & ad gaudia perducere ſempiterna. Si verò inſtigatione diabolica, hoc quod modo nos prò ſalute animæ egimus, ſive ego, ſeù noſtri hæredes, aut parentes, vel ſucceſſores, vel quiſpiam hominum removere, & auferre conati fuerimus à præſata Domo Dei, & Sancti Michaelis Arcangeli Dei examine cum traditore Juda partem habeamus in condempnatione æterna. Nec ſit Nobis Deus idem adjutor in præſenti ſæculo; Nec in futuro: Et ad confirmandum hoc noſtrum actum manu propria ſubſcriptum ſignum Sanctæ Crucis feci; inſuper Notario noſtro Smaragdo. Juſſi hanc offertionis cartam ſcribere menſe, & inditione prælatis.

✠ Ego Arnaldus Archiepiſcopus confirmo

✠ Signum propriæ manus Domini Goffredi Puliani Comitis

✠ Signum propriæ manus Domini Unfredi Comitis

✠ Signum manus Domini Goffredi filii Domini Unfredi Comitis

✠ Signum manus Rao Machabeo

✠ Signum manus Aſſegotti.



Digitized by Google

VI.

✠ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo octogeſimo quinto, menſe Martio Inditione octava. Ego Umfreda Comes Montis Scavioſi, cum conſiderarem noſtræ vitæ incommoda, & vigilanti pectore iniquitatum omnium maculas, quibus tenemur impliciti perſcrutaremur, & id ſolummodò ſtabile, id firmum eſſe, quod quis prò ſua operatur ſalute. Idcirco Ego prædictus Comes Umfreda prò meæ, vel Parentum meorum remedio animarum coram ſubſcriptis idoneis teſtibus per Sanctorum Evangeliorum librum, quem manibus meis ſupra Sacroſanctum Altare poſui, & per eumdem optuli, immò tradidi, & conceſſi primo Redemptori omnium Deo, & Eccleſiæ Monaſterii Sancti Michaelis Archangeli, quod ſitum conſtat in Civitate vetere, & tibi Venerabilis Abbas Domne Simeon hanc noſtram conceſſionem, tecum recipiente Michil tuo advocato, ſcilicet ut ab hodierno die in antea, vos, veſtrique ſucceſſores Abbates teneatis, & dominetis liberè, & abſolutè, & ſecurè cunctas poſſeſſiones, territoria, villas, terras cultas, vel incultas, cellas quoque, & obedientias prædicti Sancti Michaelis Cænobio pertinentes, homines quoque, qui ibidem ſerviunt, tàm in Caſalibus, vel Caſtellis, quam ubicumque ſunt, vel habitant in territoriis prædicti Sancti Michaelis, ut nec ego, vel mei hæredes, aut ordinati audeamus ab eis quærere datum, aut ſervitium, vel angariam, ſeù plazzam erga eos exigere, & ſi contigerit in prædictis territoriis, aut pertinentiis aliquid inveniri, vel comprehendi, ut inventio, & comprehenſio vobis, veſtriſque ſucceſſoribus o Domne Abbas præſcripta ſit. Prætereà, & nec Monachum quemlibet præfati Cænovii Sancti Michaelis, aut Clericum, vel laicum, & de ejuſdem pertinentiis, ut nec ego, vel mei hæredes, ſeù quilibet noſter ordinatus, aut comprehendere, vel tenere eum audeamus ſine veſtra, ſucceſſorumque tuorum voluntate. Inſuper nullo futurò tempore quæramus à vobis, vel à veſtris ſucceſſoribus datum, aut adjutorium quolibet modo, vel

vel ingenio , excepto ſi veſtra bona voluntas , veſtrorumque ſucceſſorum fuerit dare nobis benedictionem aliquam , & ut generaliter dicamus , nec in vobis , vel in veſtris Monachis , Clericis , vel Laicis , aut omnibus hominibus prædicto ſacro pertinentibus Monaſterio poteſtatem aliquam judicandi , diſtringendi , aut comprehendendi ſervamus nobis , aut noſtris hæredibus , ſeù ordinatis ; Sed ſemper , ut jam diximus , liberè , & abſolutè , ac ſecurè teneatis omnia ſicut ſupra ſcripta ſunt , vos , & ſucceſſores veſtri . Si verò inſtigatione diabolica hoc quod modo nos prò ſalute animæ conceſſimus , ſive Ego , ſeù quilibet noſter hæredi, vel ſucceſſor , aut ordinatus ; Nec non quiſpiam hominum diſrumpere temptaverimus , aut irritum facere hoc , quod modo fecimus , vel exire in aliquo : primo omnium omnipotens , & terribilis Deus in hoc preſenti ſæculo iraſcatur , & maledicat nobis , & in futuro per Miniſtrum ſuum Michaelem Archangelum tradat nos æternis incendiis , atque cum Juda traditore noſtri Redemptoris damnatione , & anathemate feriamur æterne . Servantibus autem præfata omnia , & cuſtodientibus vita , & miſericordia tribuatur æterna , & ad confirmandum hoc noſtrum actum , manu propria ſignum Sanctæ Crucis feci . Inſuper Joanni noſtro Notario juſſi conceſſionis hanc ſcribere cartam , menſe , & Indictione prælatis . ✠ Signum propriæ manus Domino Umfredo Comes . ✠ Signum manum Gualterius . ✠ Signum manum Goffredus Filius Domino Umfredus Comes . ✠ Signum manum Domino Rao Machabeo . ✠ Signum manus Aſegotto .

## VII.

1093 ✠ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti . Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo nonageſimo tertio , menſe Octobris , Inditione prima Ego quidem Umfredus Montis Scavioſi Dominus declaro coram nobilibus fidelibus meis ſubſcriptis teſtibus , quoniam olim obtuli Deo , & Monaſterio Sancti Michaelis Archangeli Civitatis veteris Montis prò meæ , meorumque Parentum animæ redemptione ,

ne, Caſalem Avenellæ cum medietate marinæ, & omnibus, quæ infra ſe continet, ſicut brevis continet eorum. Poſtmodum verò in eadem Marina conſtruxi Caſtellum, quod Bernardo Paſſabante dedi cum ſuis pertinentiis, dehindè optuli Monaſterio Sanctæ Mariæ Bantiæ Eccleſiam Sancti Marci cum terris, & omnibus pertinentiis ſuis, ſicut fines ibi poſui. Unde vocavi Dominum Simeonem Venerabilem Abbatem præſcripti Monaſterii Sancti Michaelis Archangeli, & cum eo perrexi in ipſa marina, & ſibi conſignavi, & per hanc noſtræ oblationis formam contradidi à Vallone Sancti Angeli, qui mittit in Baſento flumine, & aſcendit uſque in viam, quæ venit de Avenella, & pergit juxtà ſtirpinas uſque in lacum, qui eſt in via, quæ venit de Appio, & graditur in Arenella, & de ipſo lacu vadit rectè ad ortum ruſſemanni, & quomodo aſcendit per vallonem Camardæ, & exit ad viam, quæ venit de Appio; Dehinde pergit per viam, quæ vadit in Carambellis & ab ipſis carambellis deſcendit per ſtratam uſque in lacum Pantaleonis, & de laco Pantaleonis vadit rectè in Sanctum Vitum Vetranum, & de Sancto Vito, quomodo pergit via veteris uſque termite, & à termite vadit rectè in pirum, ubi crux eſt ſignata in fines Sancti Marci præſcripti. Dehinde aſcendit in Serra, quæ nominatur capocciata; & à Serra ipſa vadit rectè in lacum Sancti Salvatoris, qui eſt in Marina Carpaſii, & vadit per poſtaccium uſque in ficum, quæ eſt in Jugone juxtà Sanctam Barbaram, deindè rectè pergit, & ferit in terris Landonis uſque ad aquam Baſenti fluminis, & aſcendit per aquam Baſenti uſque in præſcriptum ballonem Sancti Angeli. Infra iſtos videlicet fines, omnia, quæ ibi continentur conſignavi, & tradidi ipſi Domino Simeoni Venerabili Abbati præſcripti Monaſterii Sancti Michaelis Arcangeli, reſtauranſque eundem Monaſterium de Caſtello Paſſabantis, & de Eccleſia Sancti Marci oblatam cum finibus ſuis Monaſterio Sanctæ Mariæ Bantiæ, tali ratione, ut amodo, & dehinceps omni tempore ſicut ſupra conſignavimus de fine in fine fiant terræ ipſæ cum ſilvis, aquis, paſcuis, territoriis omnibus, videlicet, infrà habentibus,

 vel

Digitized by Google

vel continentibus ipſius Monaſterii Sancti Arcangeli , & ſuorum rectorum ad proprietatem faciendi , ut eorum voluntas fuerit ad utilitatem Dei , & ipſius Monaſterii ſine contrarietate mea , & meorum hæredum , vel ſucceſſorum, aliamque verò Marinam communiter habeamus , & ego qui ſupra , & mei hæredes defenſores perſiſtamus ex prædictis terris ipſi Monaſterio , & cunctis ejus Rectoribus ab omni humana perſona , quod ſi inſtigante Diabolo , Ego vel mei hæredes aliquod contrarium ex prædictis terris eidem Monaſterio , vel ſuis Rectoribus facere præſumpſerimus, vel retroare , ſeu auferre temptaverimus , per nos , vel per ſummiſſam à nobis perſonam , ut Abbas , qui in ipſo Monaſterio fuerit cum ſuis Fratribus poteſtatem habeat nos innodandum vinculo anathematis donec ad ſatisfactionem, & congruam emendationem veniamus : & ob confirmandum hujus noſtræ traditionis , vel ipſius Monaſterii reſtaurationem , vel conſignationem propriis meis manibus ſignum Sanctæ Crucis ſubſcripſi .

Actum menſe , & Inditione prætitulata , ſcripta per manum Smaragdi mei Notarii ipſius Caſtelli , qui interfuit . ✠ Signum propriæ manus Umfredi , qui ſupra Montis Scavioſi Domini . ✠ Signum manus Goffredi Filii Umfredi . ✠ Signum manus Rao Machabei . ✠ Signum manus Aſgotti . ✠ Signum manus Pagati de puliano .

## VIII.

1099 ✠ IN nomine Dei æterni , & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti . Anno ab incarnatione ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo nonageſimo nono , menſe Magio Inditione ſeptima . Ego Radulphus Machabeus Dei providentia Montis Scavioſi Dominus coram Nobilibus fidelibus meis ſubſcriptis Teſtibus prò redemptione animæ Domini Rogerii Comitis Calabriæ , & Siciliæ , & animæ Domini Patris mei Umfredi , & Fratris mei Goffredi , & animæ Jordanis Cognati mei & animæ meæ , & animæ Dominæ Matris meæ Beatricis , & animæ Dominæ Juditæ ſocrus meæ , & redemptione animæ conjugis meæ

Do-

Dominæ Emmæ, animæ Adeliciæ ſororis meæ: offero Deo, & Monaſterio S. Michaelis Archangeli Montis Scavioſi, & per hoc ſcriptum Sacro Altari ejus trado, & Domino Creſcentio Abbati, & Guvernatori ipſius Monaſterii Eccleſiam Beatæ Dei Genetricis, & Virginis Mariæ, quæ ſita eſt in pertinentiis de Bumarico cum vineis, & terris ſuis cultis, & incultis, & cum ſeptem villanis, qui ad regimen ipſius Eccleſiæ ſunt in Bumarico, cunctis finibus, & rebus ejus ſibi pertinentibus, ut amodo in anteà omni tempore poteſtatem habeant Gubernatores præſcripti Monaſterii de eadem Eccleſia, & omnibus rebus ſuis hordinandi, & faciendi, ut eorum fuerit voluntas ad utilitatem, & incrementum ipſius Monaſterii ſine noſtra, noſtrorumque hæredum contrarietate, & omnium hominum, etiam promitto me eſſe exindè defenſorem, guvernatorem contra omnes adverſarios illius Monaſterii, & illud regentium, quod ſi inſtigante Diabolo aliquo modo hanc oblationem diſrumpere, vel evacuare, ego vel ſucceſſores mei voluerimus, & non adimpleverimus, quæ ſuprà narravimus, licentia ſit Guvernatoribus præſcripti Monaſterii nos innodandùm vinculo anathematis, donec ad ſatisfactionem veniamus, & prò ſecuritate ipſius Monaſterii, & ſuorum Rectorum juſſi ſcribere hunc ſcriptum per manum Smaragdi mei Notarii, & ſignum Sanctæ Crucis meis manibus ſubſcripſi menſe, & Inditione prætitulatis. ✠ Signum manus propriæ, qui ſupra Radulphi Machabei ✠ Signum manus Guidelmi filii Umfredi ✝ Signum manus Roberti fratris ſui ✝ Signum manus ysgotti ✝ Signum manus Racul filii Askettini.

## I X.

✝ IN nomine Dei æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. 1099
Anno ab Incarnatione ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo nonageſimo nono, menſe Septembris Inditione ſeptima. Ego Radulphus, qui, & Machabeus filius Umfredi unà cùm Guidelmo Fratre meo offero Eccleſiæ Sancti Michaelis de Monte Scavioſo, & per hoc ſcriptum Al-

Altari ejuſdem Eccleſiæ trado in dote, eo quod nulla Eccleſia oportet ædificari ſine dote, in die dedicationis illius coram Epiſcopis eamdem Eccleſiam ædificantibus, ſcilicet Tricaricenſi Librando, Potentino Girardo, Gravinenſi Guidoni, Mutilenſi Amuro; ibidem aſtante etiam Comite Goffredi, filioque ejus Roberto, uxoreque ejus Sichelgaitta, Recardoque Seneſcalco, aliiſque Proceribus, nec non pluribusque militibus, Eccleſiam Sancti Salvatoris, quæ ſita eſt in Caſtello, quod Comes Robertus edidit, & Eccleſiam Beati Vaſilii, quæ eſt in Territorio Appii. Confirmoque illi prædictæ Eccleſiæ ea, quæ Pater meus obtulit pro redemptione animæ illius ipſius ibidem ſepulti, & animæ Matris meæ Beatricis, animæque dilecti mihi Fratris mei Goffredi, indulgentiaque meorum delictorum, Creſcentio Abbati eamdem Eccleſiam guvernante, inprimis Eccleſiam Beati Laurentii Martyris cum cunctis ſuis pertinentiis, & Eccleſiam Sancti Juliani cum finibus ſuis, & ipſas Roccas cum omnibus finibus ſuis, & Murrum cum diviſionibus ſuis ex iſta parte Fluminis, & ultra tranſeuntibus; & veterem Civitatem, quæ Arcora vocatur, & Eccleſiam Sancti Joannis de Avenella cum ipſo eodem Caſtro, quod Avenella vocatur cum integris ſuis pertinentiis, & medietatem omnium Terrarum mihi pertinentium in Metaponto, & medietatem proficui portus, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ ſita eſt in loco, qui cornu vocatur cum pertinentibus ſibi; nec non Eccleſiam beati Nicolai de Appio, & fines ſuos, & Eccleſiam beati Benedicti de Acina, & Eccleſiam beati Viti, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Locoria, & Eccleſiam S. Mariæ de Monte Scavioſo, quæ vocatur Nova cum omnibus ſuis pertinentiis, & Eccleſiam Sancti Nicolai, quæ eſt ſub meo Caſtello, & Eccleſiam Sanctæ Luciæ cum integris ſibi pertinentibus, ſimul & Eccleſiam S. Mariæ, quæ veterana vocatur, & Eccleſiam S. Simeonis, quæ edita eſt juxta Turrem ſeverianam, & Eccleſiam S. Prothomartiris Stephani de Rio cum olivis, & vineis, & vineis quæ ſunt in loco, qui vocatur Rupe, & Eccleſiam S. Martini cum vineis, & Eccleſiam S. Leonis cum vineis, & terris, & omni-

Digitized by Google

omnibus ad ſe pertinentibus: hæc autem omnia ſupradicta volumus, ut ipſa Eccleſia, & Gubernatores illius abſque contrarietate liberè, & integrè habeant, poſſideant ad honorem, & utilitatem: etiam promicto me eſſe defenſorem, Gubernatorem Advocatum contra omnes adverſarios ipſius Eccleſiæ, & illam regentium, quod ſi iſtigante Diabolo aliquo modo hanc oblationem diſrumpere, vel evacuare ego vel ſucceſſores mei temptaverimus, licentia ſit Gubernatoribus illius Eccleſiæ nos innodandum viuculo anathematis, donec ad ſatisfactionem veniamus; Hæc omnia verò ſuperiùs ſcripta ſmaragdo meo proprio Notario, ut firmiſſima videantur, manibus ſuis exarare juſſi menſe & Inditione prætitulata ✝ Signum propriæ manus meæ qui ſupra Radulphi Machabei. ✝ Signum propriæ manus meæ qui ſupra Goffredus inclitus Comes ✝ Signum propriæ manus qui ſupra Robertì Cuperſani. ✝ Signum propriæ manus Guidelmi, qui ſupra Fratris mei, & Filius Umfredi Montis Scavioſi Domini. ✝ Signum propriæ manus Aſegotti. ✝ Signum propriæ manus Gilverti.



X.

1099 ✝ IN nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris no ſtr Jeſu Chriſti anno ab Incarnatione ejuſdem Dom ini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo nonageſimo nono menſe novembrario Inditione ſeptima: Ego quidem Radulphus Machabeus Dei miſericordia miles ſtrenuus, ac Montis Caviosi Dominus: declaro coram nobilibus fidelibus meis Quam olim in dedicatione S. Michaelis Archangeli optuli, & tradidi pro dotibus in eadem Eccleſia S. Michaelis Eccleſiam Sancti Salvatoris de Marina cum ſuis pertinentiis: Sed quia in ubi ſunt cunctæ dotes ipſius Monaſterii, fines non poſuimus ipſi Eccleſiæ Santi Salvatoris, nunc perrexi in eadem Marina cum Domino Creſcentio ven. Abbati ipſius Monaſterii, & coram noſtris fidelibus conſignavi eidem Abbati iſtos fines habendum Eccleſia S. Salvatoris in terris ſuis: videlicet, a piro ſignata ſigno Crucis, quæ ſtant in laco, & via, quæ venit de vado abatiſſæ, & deſcendit ad Menajolam, quæ eſt ſubtus ſerræ de Capocciatæ, & ſicut aſcendit per latera ipſius Serræ uſque ad ſummitatem prædictæ Serræ de Capocciati, & ferit recte ad padulos, quæ deſcendit ſuptus Serræ de ricchardo, & Eccleſiam S. Salvatoris prædicti, & indè ferit ad viam, quæ vadit ad vadum de Cruce, & deſcendit per aquam ipſius bradani uſque ſuptus ad rotellam: & exiens inde ferit ad viam, quæ eſt ſubtus menſæ Imperatoris ex parte auſtri: & vadit per ſumitatem jugonis ipſius menſæ uſque ad ſtratam, quæ venit de Turre: & tranſiens inde aqua pendente aſcendit in poſtacium: ab ipſo poſtacio ferit ad lacum S. Salvatoris: & exindè vadit, & recte ferit ad præſcriptam Serram de Capocciati. Infra hos ergo fines ipſam præſcriptam Eccleſiam cum cunctis prædictis Terris ſicuti ſunt de finibus in fines ſuis vel omnia quæ infra ſe habent, & continent obtuli, & tradidi Deo, & Monaſterio prædicti S. Michaelis, & Domino Creſcentio ven. Abbati ipſius Monaſterii ſemper habendum, & poſſidendum, & dominandum ipſe, & ſui ſucceſſores, & licentia ſit eis ibidem plantandi vineas conſtruendi pomaria

vel

vel totius boni agendi, illique ſcilicet boni, quod ſemper utilitati Eccleſiæ proſit, etiam ſit eis poteſtas colligendi vel affidandi homines, unde opportunitas exibuerit ſine noſtra, noſtrorumque hæredum contrarietate, vel alicujus hominis, & ſi quod abſit inſtigante Diabolo diſrumpere, auferre, vel in aliquo exire voluerimus in hoc quod ſupra conſtituimus, & non adimpleverimus, ſicut præſcriptum eſt: etiam ſi non defenſaverimus omnia, & homines qui ibidem congregati fuerint, aut ordinati, vel eos moleſtaverimus, maledicti, & excomonicati ſiamus in hoc ſæculo, & in futuro cum Diabolo, & ejus fautoribus pœnas in inferno luamus: ob confirmandum hanc noſtræ oblationis formam noſtris manibus ſignum S. Crucis fecimus, ac typario noſtro in plumbo bullari juſſi, ac ſuper altare præſcripti Cænobii S. Michaelis Arcangeli poſuimus, & Smaragdo noſtro Notario exarari præcepimus menſę & Inditione pretitulata.

✝ Signum propriæ manus meæ, qui ſupra Radulphi Machabei.

✝ Signum propriæ manus Anſgotti

✝ Signum propriæ manus Gilberti.

## XI.

✝ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo centeſimo decimo, menſe Septembris Inditione tertia. Ego quidem Emma Comitiſſa, ſcilicet Civitatis Severianæ, cum conſiderarem noſtræ vitæ incomoda, & vigilanti pectore iniquitatum omnium maculas, quibus tenemur implicati perſcrutaremus, & id ſolumodo ſtabile, id firmum eſſe, quod quis prò ſua operatur ſalute; Idcirco ego prædicta Comitiſſa Emma pro meæ; & viri mei Domini Radulphi Machabei, noſtrorum filiorum, vel parentum remedio animarum, coram ſubſcriptis idoneis teſtibus per Sanctorum Evangelium librum, quem manibus meis ſupra Sacroſanctum Altare poſui, & per eumdem optuli, immo tradidi, & conceſſi primò Redem- 1110



ptori

ptori omnium Deo, & Eccleſiæ Monaſterii S. Michaelis Archangeli, quod ſitum conſtat in prædicta Civitate, & tibi Venerabilis Abbatis Creſcenti Domne, hanc noſtram conceſſionem tecum eam recipiente Maraldizi Judice, tuo Advocato, ſcilicet, ut ab hodierno die in antea vos, veſtrique ſucceſſores Abbates teneatis, & dominetis liberè, ſecurè, & abſolutè cunctas poſſeſſiones, Territoria, Villas, Terras cultas, vel incultas, cellas quoque, & obedientias prædicti Sancti Michaelis Cenovio pertinentes, homines quoque, qui ibidem deſerviunt tam in prædicta Civitate Severiana; quam vir meus una mecum conſtruxit, quantum etiam in Caſalibus, vel Caſtellis, aut ubicumque ſunt, vel habitant in Terris prædictis Sancti Michaelis, ut nec ego, vel mei hæredes, aut ordinati audeamus ab eis quærere datum, aut ſervitium, vel angariam, ſeu plazam erga vos exigere, & ſi contigerit in prædictis territoriis, aut pertinentiis aliquid inveniri, vel comprehendi, ut inventio, & comprehenſio vobis, veſtriſque ſucceſſoribus o Domne Abbas præſcripta ſit. Præterea, & nec Monachum quemlibet præphati Cenobii S. Michaelis, aut Clericum, vel laicum, & de eiſdem pertinentis, ut nec ego, vel mei hæredes, ſeù quilibet noſter ordinatus comprehendere, aut tenere eum audeamus ſine veſtra, ſucceſſorumque tuorum voluntate: etiam licentiam vobis damus in prædicta Civitate, vel in cunctis locis noſtris, vel veſtris homines affidare unde opportunitas exigetur; & ſi quis de noſtris hominibus de rebus ſuis ſtabilibus, & mobilibus in prædicta Eccleſia; vel ejuſdem obbedientiis offerre voluerit, ſit ei licentia à nobis data offerendi quicquid ſibi placuerit ſine contrarietate noſtra, noſtrorumque hæredum; Inſuper nullo futuro tempore quæramus à vobis, vel à veſtris ſucceſſoribus datum, ſervitium, aut adjutorium quolibet modo, vel ingenio, excepto ſi veſtra bona voluntas, veſtrorumque ſucceſſorum fuerit nobis dare benedictionem aliquam. Et ut generaliter dicam, nec in vobis, vel in veſtris Monachis, Clericis, vel laicis, aut omnibus hominibus prædicto ſacro pertinentibus Monaſterio poteſtatem aliquam judi-

di-

dicandi, diſtringendi, aut comprehendendi ſervamus nobis, aut noſtris hæredibus, ſeù ordinatis; sed ſemper, ut jam diximus liberè, & abſolutè, ac ſecurè, & ſine ullo ſervitio teneatis omnia ſicut ſupra ſcripta ſunt vos, & ſucceſſores voſtri. Si verò inſtigatione diabolica hoc quod modo nos prò ſalute animæ conceſſimus ſive ego, ſeu quilibet noſter hæres, vel ſucceſſor, aut ordinatus, necnon quispiam hominum disrumpere temptaverimus, aut irritum facere hoc quod modo fecimus, vel exire in aliquo. Primo omnium omnipotens, & Terribilis Deus in hoc præſenti ſæculo iraſcatur, & maledicat nobis, & in futuro per Miniſtrum ſuum Michaelem Archangelum tradat nos æternis incendiis, atque cùm Juda traditore noſtri Redemptoris dampnatione, & anathemate feriamur æterno. Servantibus autem omnia præphata, & cuſtodientibus vita, & miſericordia tribuatur æterna; Et ad confirmandum hoc noſtrum actum manu meà propria ſignum Sanctæ Crucis feci; Inſuper Smarado Notario juſſi conceſſionis hanc ſcribere Cartam, ac typario viri mei in plumbo bullari feci menſe, & Inditione prælatis. ✝ Petrus Archiepiſcopus Acheruntinus. ✠ Fuſco ovianenſis Epiſcopus ✠ Leobrandus Trigarenſis Epiſcopus ✠ Signum manum Roggerii Civitatis Severianæ Domini, & Filii Radulphi Machabei, & Emmæ Comitiſſæ ✠ Stephanus hoc ſigno præſul brebe comprobo, firmo. ✠ Signum manus, quæ ſupra Emmæ Comitiſſæ Comitis Rogerii filiæ ✝ Riccardus Miles ✝ Signum manus Godardi Militis. ✠ Henricus Miles. ✠ Signum manus Umbaldi Petrullæ Domini ✠ Signum manus Domini Robberti Barrazi prædictæ Comitiſſæ Comeſtabularii ✠ Rogerius de Domino Tipoldo Miles ✠ Aſgottus Miles. ✠ Signum manus Goffredi Puliani.

## XII.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis eius milleſimo, centeſimo, quintodecimo menſe Martii Inditione octava. Ego Emma Comitiſſa Rogerii Comitis filia, Civitatis Severianæ Domina. Cum illius Dei omnipotentis, qui retributor eſt omnium, & 1115

peccaminum relaxator juxta Prophetam pedibus appropinquat, qui in dotandis Eccleſiis, & maximè Monaſteriis augumentandis conſideratione præhabita benivolum, & beneplacitum Cor, apponit. Idcirco Ego prædicta Comitiſſa Emma conſiderans eſſe caduca omnia, & momentanea, quæ humanis uſibus acquiſita videntur pro me & viri noſtri Radulphi Machabei, noſtrorum filiorum, vel parentum remedio animarum. Inter cætera collata beneficia, quæ Monaſterio S. Michaelis Archangeli, quod ſitum conſtat in prædicta Civitate contuli diligenti perviſione penſata ad amplioris dignitatem honoris Monaſterii nominati de ignata benevolentia mea, annuendo etiam petitionibus Dopni Creſcentii Venerabilis Abbatis dicti Cenôbii, & conventus ejuſdem à me petentium ut ad honorem, & crementum dicti Monaſterii, & laudem Beatiſſimi Sancti Michaelis Archangeli omni tempore Forum, & Nundinas anno quolibet, menſe Madii pro feſto Sancti Michaelis in eadem Civitate celebrari permitterem, & haberi de ſolita liberalitate mea coram ſubſcriptis ydoneis teſtibus, dò, & concedo Forum, ſeù Nundinas in eadem Civitate anno quolibet menſe Madii perpetuò fieri ad honorem, & memoriam dicti Cænobii celebrandum & habendum de cætero a primo die menſis Madii uſque ad decimum ejuſdem francas, & liberas, ut omnis homo undecumque ſit, qui ad dictum Forum, ſeù Nundinas cum rebus venalibus acceſſerit tam vendendo, quam in emendo de jure plateæ, ſeù aliquo modo injuſtè nullatenus moleſtetur ab officialibus Curiæ meæ, nec moleſtari cogatur, ſed liberè vendat, & emat nemine prohibente. Dò eciam, & concedo eidem Monaſterio, & Abbatibus ipſius jus aminiſtrandi juſtitiam queſtionum civilium, quæ infra dies prædictos poſſint contingere, vel oriri, ut eis poſſint jure debito terminare, & dicto Monaſterio acquiri. Si verò inſtigatione diabolica hoc, quod modo nos pro ſalute animæ conceſſimus, ſive ego, ſeù quilibet noſter hæres, vel ſucceſſor, aut ordinatus, necnon quiſpiam hominum diſrumpere tenptaverimus, aut irritum facere hoc quod modo fecimus, vel exire in aliquo, primo omnium omnipotens, & terribilis Deus in

hoc

hoc præſenti ſeculo iraſcatur, & maledicat nobis, & in futurum per miniſtrum ſuum Michaelem Archangelum tradat nos æternis incendiis, atque cum Juda traditore noſtri Redemptoris, dampnatione, & anathemate feriamur æterno. Servantibus autem omnia præfata cuſtodientibus vita, & miſericordia tribuatur æterna. Et ad confirmandum hoc noſtrum actum manu mea propria ſignum Sanctæ Crucis feci; Inſuper Juliano Notario noſtro præcepimus conceſſionis hanc ſcribere Cartam menſe, & Inditione prælatis. ✠ Ego Petrus Acheruntinus Archiepiſcopus interfui ✝ Ego Guido Gravinenſis Epiſcopus interfui ✠ Ego Gaudius Abbas Sanctæ Mariæ Piſticij interfui ✠ Signum manus Dominæ Emmæ Comitiſſæ præſcriptæ Comitis Rogerii filiæ ✠ Signum manus Domini Rogerii Machabei præſcriptæ Comitiſſæ filii ✠ Signum manus Dominæ Adelitzæ jam dictæ Comitiſſæ filiæ ✠ Signum manus Arnaldi de Craco ✠ Signum manus Godardi militis ✠ Signum manus Domini Roberti Barrazi præſcriptæ Comitiſſæ Comeſtabularii.

## XIII.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo centeſimo nonodecimo menſe 1119
Julij Inditione duodecima. Ego Emma Comitiſſa Rogerii Comitis filia Civitatis Severianæ Domina una cum filio meo Domino Rogerio Machabeo; cognoſcentes cuncta ſæcularia eſſe caduca, & inſtabilia tranſitura nec ſemper manſura divina Inſpirante Clementia pro ſalute animæ mei viri Domini Radulphi Machabei: noſtrorumque defunctorum parentum pro ſoſpitate etiam noſtrorum corporum, ac redenptione peccatorum noſtrorum operetur precium duximus Eccleſiam beati Michaelis Archangeli ſitam in præſcripta Civitate de noſtris rebus propriis ditare, & amplificare: Quapropter præſentibus Domino Petro Acheruntino Archiepiſcopo, & Domino Guidone Gravinenſi Epiſcopo, dominoque Gaudio Abb. S. Mariæ peſtitij, Arnaldo Iſim-

Digitized by Google

Iſimbardi filio , Roberto S. Juliani , Goffrido puliani , aliiſque idoneis ſubſcriptis Teſtibus : Caſtrum quoddam paſſabanti nobis pertinens optulimus Deo , & prædictæ Sanctæ Eccleſiæ , ac per Sacrorum Evangeliorum librum Domino Guarino Ven. Abb. , & ejuſdem Eccleſiæ Rectori tradidimus cum omnibus ſuis pertinentiis quemadmodum Dominus noſter Radulphus Machabeus vir bonæ memoriæ Roberto gegurii datum habuit per hos , videlicet , fines deſub. iſcla vadiumbroſi , & exiens inde vadit , & adſcendit ad fontem Mirtillæ , & inde procedere vadit ad antiquam viam , & per caput gravinæ Sancti Marci : Poſt hæc verò exijt , & vadit per lumbonem mittens in caput gravinæ S. Viti Veterani , & aſcendit in lacum panteleonis, & per viam carraram Montis Scabeoſi , & per eamdem viam uſque ad caput Vallonis deſimaturis , ubi ſunt petræ fixæ, deſcendensque mittit in gurgitem brunum bradani , & per aquam Bradani fluminis vadit uſque ad prænominatum finem Iſchæ vadi umbroſi : infra hos autem fines præſcriptum Caſtrum ſicut continet de fine in finibus optulimus eidem Monaſterio S. Michaelis , & tradidimus Abbati prænominato ſuiſque ſucceſſoribus habendum ſemper , & poſſidendum, & faciendum , ut eorum voluntas fuerit ad Dei , & prædicti Monaſterii utilitatem . Licentiam quoque eis dedimus congregandi ibi villanos unde oportunitas exegerit , plantandi vineas , & pomeria , & operandi quicquid proficuum Eccleſiæ fuerit , ſimul etiam optulimus , & tradidimus eis dimidium plazam , & portaticum dimidium , & medietatem legum Civitatis Sanctæ Trinitatis , & totius redditus . Medietatem etiam piſcationis maris , & fluminum , & lacuum tam de naufragio navis , & portu maris , & fluminum q. de inventione ſervi vel alicujus rei comprehenſione , ſeu venatione , vel fluminum , ex hiis omnibus cuncta optuli medietatem prædicto Cænobio ſicuti ſupra continetur . Ac etiam dedimus eidem dimidiam partem de terratico terrarum adjacentium intus baſentum , & ſalandram , & medietatem tenimenti , quod eſt ex altera parte intus baſentum, & bradani flumina , ac mediam partem noſtræ ſalinæ ; &

con-

Digitized by Google

conceſſimus quendam noſtrum villanum, ſaſſonem nomine cum omnibus rebus ſuis ſtabilibus, & mobilibus. Licentiam quoque ſibi dedimus affidandi villanos in prænominata Civitate Severiana ven. oportuerit, Plazam itidem omnium hominum prædicti Monaſterii in tota noſtra Terra manentium de quæcunque venddiderint eidem conceſſimus Monaſterio habendam: optuliuus etiam præphato Monaſterio Sancti Michaelis decimas omnium noſtrarum rerum Caſtelli S. Nicandri. Ita tamen ut ipſe Abbas ejuſque ſucceſſores in Cappella ipſius Caſtelli Cappellanum mittant noſtris noſtrorumque hæredum ſumtibus ſuſtentandum: Hæc autem omnia quæ ſcripta ſunt idem Abb s cum maralditio ejuſdem Monaſterii Advocato recepit. Tali, videlicet, ratione, ut nec à nobis, nec à noſtris hæredibus, vel ſucceſſoribus quolibet tempore quamlibet calumniam, vel moleſtiam ſuſtineant; Set ſemper quiete ea poſſideant, & habeant, ſine noſtra noſtrorumque hæredum, vel ſucceſſorum, & omnium contrarietate: & nos noſtrique hæredes, vel ſucceſſores eidem Monaſterio, & ſuis Rectoribus omni tempore: ex prædictis omnibus defenſores ſimus; & ſecuritatis cauſa ipſius Monaſterij, ſuorumque rectorum hanc cartulam ſcribere præcepimus Juliano noſtro Notario, ac Typario viri noſtri in plumbo bullari fecimus, & ſignum Sante Crucis propriis manibus ſubſignavimus:

✠ Ego Petrus Archiepiſcopus Acherontinus interfui

✠ Ego Guido Gravinenſis Epiſcopus interfui

✠ Ego Gaudius Abbas Sanctæ Mariæ Peſticii interfui

✠ Signum manus Dominæ Emmæ Comitiſſæ præſcriptæ Comitis rogerii filiæ

✠ Signum manus Domini Rogerii Machabei præſcriptæ Comitiſſæ filii

✠ Signum manus Domine Adelizæ jam dictæ Comitiſſæ filiæ

✠ Signum manus Arnaldi de Craco

✠ Signum manus Oſmundi Severianæ

✠ Maraldizi Judex quod ſupra advocatus interfui

✠ Signum manus Domini Roberti borazi prædictæ Comitiſſæ

tiſſæ Comeſtabularii .
✠ Signum manus Roberti S. Juliani
✠ Signum manus Ricardi nigri
✠ Signum manus Goffridi Puliani
✠ Signum manus Guirelmi Capialbi
† Signum manus Godardi militis.




XIV.

Digitized by Google

XIV.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo centeſimo nonodecimo, menſe Auguſti, Inditione duodecima. Ego Emma Comitiſſa Rogerii Comitis filia Civitatis Severianæ Domina unà cum filio meo Domino Rogerio Machabeo, dum reſideremus apud Caſtrum Civitatis noſtræ Sanctæ Trinitatis veniens antepræſentiam noſtram Frater Hugo præceptor Sacræ Domus hoſpitalis Sancti Joannis Hyeroſolimitani, humiliter rogavit, ac ſupplicavit, ut per Dei miſericordiam, & peregrinorum cadeuntium ei terras ſibi adjacentes ſuper flumen baſenti in confines Caſalis Avinellæ per laborandum deberemus tribuere. Nos verò ejus ſupplicationibus inclinati humiliter, & devotè petitioni ejus voluimus ſatisfacere voluntati. Invenimus tandem, quod medietatem prædictarum terrarum, quas à nobis petebat pro indiviſo pertinebant Monaſterio Sancti Michaelis ex donatione, quam ſibi fecimus de medietate totius redditus Sanctæ Trinitatis, tunc accerſiri fecimus D. Guarinum ven. Abbatem prædicti Monaſterii ante præſentiam noſtram; & rogavimus eum, ut intuitu Dei amoris, & noſtri precaminis interventu prædictas, quas præfato Monaſterio pertinebant, prædicto Fratri ob reverentiam prædictæ Domus hoſpitalis tribueret ei; ita tamen, quod prænominatum Monaſterium voluimus, ut nullo modo patiatur aliquod detrimentum. Immo voluimus, quod cambium habeat in æquivalenti melioratione. Tandem prænominatus v. Abbas circumfultus conſilio poſuit ſe in manibus noſtris, & dixit, quod paratus erat facere voluntatem noſtram; tunc vocari fecimus Dopnum Gaudium ven. Abbatem Sanctæ Mariæ de Peſtitio, & hos Magnates noſtros videlicet Domnum Arnaldum, & Simbardi filium, Dominum Robertum S. Juliani, Domnum Goffridum Puliani, aliiſque ſubſcriptis teſtibus ydoneis, & in præſentia noſtra, & prædictorum teſtium D. Guarinus ven. Abbas obtulit, immo, & tradidit per Sacrum Evangeliorum librum terras prænominatas, videlicet, medietatem, quam dictum Mo- 1093.

naſterium habebat pro indiviſo nobiſcum; & dedit in manu Fratris Hugonis prædicti recipientis prò parte ſupradictæ Domus hoſpitalis, ut nullo adveniente tempore, nec ipſe Abbas, nec etiam ſucceſſores ſui prædictam traditionem infringerent, vel evacuarent; ſet omni futuro tempore firmam, & ratam haberent. Fines vero prædictarum terrarum ſunt hii, Primus finis eſt ab area Landonis, quæ eſt ſubtus limes Caſalis Avinellæ, ab ipſo limite, ſicut deſcendit rectè per Menajolam, & vadit in flumen baſenti. Secundus finis eſt ſicut deſcendit aqua Baſenti uſque ad arborem cruce ſignatam. Ego verò ſupradicta Emma Comitiſſa una cum prædicto filio meo, coram prædictis teſtibus obtuli, & tradidi per Sacrum Evangeliorum librum in manibus prædicti Domini Guarini ven. Abbatis Monaſterii ſupradicti terras, quæ ſunt juxta flumen bradani, & in concambium dedimus eidem, quas terras tenebamus cum prædicto Monaſterio; medietatem, videlicet, quam nos habebamus donavimus, ſibi, cujus fines hij ſunt. Primus finis eſt à ſubtus rotella, & ferit rectè ad viam, quæ eſt ſuptus Menſæ Imperatoris ex parte Auſtri, ubi eſt alius finis Eccleſiæ Sancti Salvatoris. Secundus finis eſt ſicut deſcendit ab ipſo loco, & vadit rectè per limitem, qui eſt ſubtus Menſæ Imperatoris, & vadit rectè uſque ad Mare, & ad noſcendum prædictum limitem fecimus infringere petras magnas ſignatas mercò Monaſterii ſupradicti. Tertius finis eſt ſicut aſcendit aqua bradani, uſque ad vadum Lucturij, ab ipſo vero vado ferit rectè ad prædictam rotellam. Infra hos autem fines de terris ſupradictis ſicut continet de fine in finibus obtulimus, & tradidimus eidem prædicto Abbati, & ſuis ſucceſſoribus, & prænominato Monaſterio Sancti Michaelis ad habendum, dominandum, poſſidendum, & faciendum de eis ſicut placuerit voluntati eorum, & nullo adveniente tempore, neque nos, neque ſucceſſores noſtri, aut hæredes contra donationem ipſam retrovenire, ſet ſemper firmam, & ſtabilem omni futuro tempore habituram, & pro meliorattionem ipſarum terrarum dedimus prænominato Abbati, & præfato Monaſterio textum Evangeliorum cohopertum de argento,

Digitized by Google

to, & deauratum per totum ; Et Fratri Hugoni prædiĉto præcepimus, ut omni anno in Feſto S. Michaelis in menſe Madii debeat viſitare ſupradiĉtum Monaſterium, videlicet, in duobus juvencis, aut in unum pulchrum equum, & ipſe prænotatus Frater Hugo obligavit ſe ſolepniter per ſtipulationem pro parte prædiĉtæ Domus hoſpitalis, & ſucceſſores ſuos coram nobis, & coram ipſis teſtibus ad manus prædiĉti Abbatis de viſitando prædiĉtum Monaſterium, ut eſt diĉtum, & ſi nollent facere, datio ipſa non teneat, ſet in primo ſtatu omnia redigantur, obligando etiam ſe, & ſucceſſores ſuos, ut ſi contravenerint, nos, & hæredes noſtri, ſeù ſucceſſores habeamus poteſtatem revocandi donationem ipſam faĉtam eidem hoſpitali, & capiendi terras prædiĉtas ad opus noſtrum, & Monaſterii ſupradiĉti, ſi idem Frater Hugo, & ſucceſſores ſui non viſitaverint prædiĉtum Monaſterium cum duobus juvencis, vel uno pulchro equo, ut diĉtum eſt. Et nos quidem ſub iſta conditione fecimus prædiĉtam donationem prædiĉto Hoſpitali Domnus verò Abbas, & ſucceſſores ſui non deſtituantur à nobis, vel hæredibus noſtris, ſive ſucceſſoribus, neque ſpolientur, unquam donatione, quam ſibi fecimus de terris prædiĉtis neque de textu Evangeliorum ; & ad majorem ſecuritatem diĉti Abbatis idem F. Hugo oſtendit nobis, & in publico fecit legere quaſdam litteras apertas, ſigillatas ſigillo Prioris, & Conventus S. Domus hoſpitalis, quibus committebatur, & mandabatur eidem F. Hugoni, quod poſſet obligare ſe, & ſucceſſores ſuos, ac prædiĉtam Domum hoſpitalis ad omnia ſupradiĉta, & tam nos quam prædiĉti teſtes vidimus prædiĉtas litteras, & cognovimus ſigillum diĉti Prioris, & Conventus ; Ad hujus autem rei memoriam, & prædiĉti Monaſterii cautelam præſens inſtrumentum indè fieri fecimus, & alium conſimilem etiam præcepimus fieri pro parte prædiĉtæ Domus hoſpitalis per manus Juliani Notarii, qui interfuit anno, menſe, & inditione prætitulatis, ac typario D. Viri noſtri in plumbo bullari fecimus, & ſignum Sanĉtæ Crucis proprijs manibus ſubſignavimus.

✠ Signum manus Domnæ Emmæ Comitiſſæ præſcriptæ Comi-

mitis Rogerij filia. ✝ Signum manus Domni Rogerij Machabei præſcriptæ Comitiſſæ Filij. ✝ Signum manus Arnaldi Iſimbardi Filij. ✝ Signum manus Roberti Sancti Juliani. ✠ Signum manus Goffridi Puliani. ✠ Ego Gaudius Abbas Sanctæ Mariæ Peſtitij interfui. ✠ Signum manus Oſmundi Severianæ. ✠ Signum manus Domni Roberti Barratti prædictæ Comitiſſæ Comeſtabularij. ✝ Maraluzi Judex, qui ſupra Advocatus interfui.

## XV.

1124 ✝ IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quoniam quidem ea, quæ Deo, & ei ſervientibus beneficia impendimus, nobis, & in præſenti, atque futuro ſalutaria eſſe novimus, & propterea Deo grates, & hominibus laudabiles ſumus. Juſtum duximus, ut ea quæ oblata fuere à prædeceſſoribus noſtris Radulpho Machaheo, ejuſque conjuge Domina Emma Comitiſſa, eorumque filio Domino Rogerio Monaſterio Sancti Michaelis Archangeli ſito in Monte Cauſo per hoc præſens ſigillum concedere, & confirmare. Iccircò nos Conſtantia Philippi Regis Francorum filia, & Domini Boamundi Antiocheni Principis quondam uxor, & Boamundus ipſius bonæ memoriæ, & Domnæ Conſtantiæ filius, ac hæres pro ſalute animæ ejuſdem Domini noſtri, & remedio animarum prædefunctorum Parentum noſtrorum, & noſtra unanimiter Mater, filiusque concedimus, & confirmamus ipſi Sacro Monaſterio, & Domno Vuárino Venerabili ejus Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus coram Dommo Raynaldo Tarentinorum Archiepiſcopo, & cæteris probis, idoneiſque ſubſcriptis teſtibus totum illud jus, quod præfato Monaſterio à prænotatis Dominis habere, & tenere, ac dominari in Civitate noſtra Sanctæ Trinitatis, & pertinentijs ſuis conceſſum eſt; Secundum privilegium, quod ipſum Monaſterium indè habet ſcilicet dimidiam plazziam ejuſdem Civitatis, & dimidium portaticum, & medietatem legum, & totius redditi, medietatem etiam Portus Baſenti, & Bradani fluminum, & dimidiam partem de terratico terrarum adjacentium.

tium inter Baſentum, & Salandram; & mediam partem noſtræ ſalinæ. Hæc itaquè omnia ſuper. declarata conceſſimus Deo, & Monaſterio Sancti Archangeli, & Domno Vuarino ejuſdem Monaſterij Abbati, & ſuis ſucceſſoribus ad utilitatem, & proficuum ipſius Sancti Monaſterii, & Fratrum, qui in eo ſunt, atque confirmavimus habere, tenere, & poſſidere, ac dominari in perpetuum abſque omni noſtra, noſtrorumque hæredum, & ſucceſſorum, & ordinatorum noſtrorum, & aliorum hominum contrarietate, & moleſtia. Unde pro ipſius Sacri Monaſterij, & Abbatum ejus ſecuritate, & firmitate, hoc ſigillum ſcribere juſſimus per manum Michaelis noſtri Notarij, & plumbea Bulla noſtri ſoliti typarij bullari, & prænotato Abbati ad defenſionem dari. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo, vigeſimo quarto indictione ſecunda. ✝ Signum manus Domini Raynaldi Tarentinorum Archiepiſcopi ✠ Conſtantia. ✠ Signum manus Domini Boamundi, Boamundi Antiocheni Principis filij.

## XVI.

✝ IN nomine Domini, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: Anno ab Incarnatione ipſius milleſimo centeſimo vigeſimo quarto inditione tertia. Cum Ego Rogerius Siciliæ, atque Calabriæ Dei gratia Comes beatæ memoriæ Magni Comitis R. filius, & hæres, eſſem apud Montem Caveoſum pluribus aſſiſtentibus Baronibus meis, venit ad me Dominus W. Monaſterij beati Michaelis Archangeli in eadem Civitate conſtitutus Venerabilis Abbas cum quibuſdam fratribus ejuſdem Monaſterij rogitans, & petens a me, quatinus pro Dei amore, & animæ meæ, & omnium parentum meorum ſalute, facerem prædicto Monaſterio ipſique, & omnibus ipſius legitimis ſucceſſoribus privilegium de omnibus poſſeſſionibus, & pertinentiis, ſive aliis rebus tam mobilibus, quam immobilibus, quas, videlicet, beatæ recordationis Domina E. venerabilis ſoror mea eidem Monaſterio, & Domno Creſcentio ipſius Abbati conceſſerat, ſive contulerat, & Privilegio ſuo, ſicut in ipſo 1124

con-

continetur confirmaverat, & teſtimonio proborum virorum corroboraverat. Cujus honeſtæ peticioni aſſenſum præbui, & prædictas donationes, & donationum conceſſiones, ego quoque conſilio Baronum meorum conceſſi, & confirmavi, & præſentis decreti pagina per teſtimonium ſubſcriptorum virorum corroboravi ✠ Ego Comes R. ſubſcripſi ✠ Ego Simeon Cuſentinus Archiepiſcopus ſubſcripſi ✝ Ego W. Meſſanenſis Epiſcopus ſubſcripſi ✝ . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ✝ Γεωρηιος Αντικεὺς Βημμηγων Μητροπολίτης ὑπόγαα.

## XVII.

1127 ✝ IN nomine Domini, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: Anno ab incarnatione ipſius milleſimo, centeſimo, vigeſimo ſeptimo, Inditione quinta. Cum ego Rogerius Siciliæ, atque Italiæ Dei gratiæ Dux beatæ memoriæ magni Comitis R. filius, & hæres eſſem apud Montem Caveoſum pluribus aſſiſtentibus Baronibus meis. Venit ad me Dominus Guarinus Monaſterij beati Michaelis Archangeli in eadem Civitate conſtituti venerabilis Abbas cum quibusdam Fratribus ejuſdem Monaſterii rogitans, & petens à me quatinus pro Dei amore concederem fratribus ipſius Monaſterij aliquem piſcatorem apud Tarentum, cujus honeſtæ peticioni aſſenſum præbui, & habito conſilio, Nicolaum Canerium cum ſuis hæredibus, & omni ſua Familia, Eccleſiæ, & eiſdem Fratribus conceſſi in perpetuum, & præſentis decreti pagina per teſtimonium ſubſcriptorum virorum corroboravi ✝ Ego Dux R. ſubſcripſi ✝ Ego Guill. Meſſan. Archiepiſcopus ſubſcripſi ✝ Ego Symon Cuſſentinus Archiepiſcopus ſubſcripſi ✠ Ego Petrus Archiepiſcopus Acheruntinus ✝ Leobrandus Trigiarenſis Epiſcopus ✝ Stephanus hoc ſigno Præſul Breve comprobo, firmo γισωδοτος ἀμμεγαν μητγοπολιτης υιτογγκτα ✝ ſεογγιος αντιοκεὺς, Βαμμηγων μιτγοπολιτης ὑτογρατα ✠ Signum manus Colardi militis ✠ Signum manus Umbaldi Petrullæ Domini ✠ Signum manus Goffredi Puliani.

## XVIII.

## XVIII.

✠ IN nomine Dei æterni*, & Salvatoris noſtri Jeſu 1143
Chriſti . Rogerius divina favente Clementia Rex Siciliæ , Ducatus Apuliæ , & Principatus Capuæ , regiam auget beatitudinem piis locis , & Chriſti ſervientibus providere . Reſidentibus itaque nobis in ſacro Palatio noſtro Urbis Panormi . Rao venerabilis Abbas Monaſterii Beati Michaelis Archangeli ſiti in Monte Caveoſo noſtro conſpectui præſentatus humiliter noſtræ celſitudini ſupplicavit, ut illius intuitu , per quem feliciter vivimus , & regnamus , & ut ſtatus Regni noſtri meritis glorioſi Archangeli Michaelis felicius exaltetur, de aliqua piſcatione apud Tarentum pro menſa ſua , & Monachorum ipſius Monaſterij dignaremur de ſpeciali gratia providere : Nos verò conſiderantes illud in Cœlis reſervari ſolummodo, quod in terris pro remedio animæ pauperibus , & Chriſti Eccleſiis erogatur , petitioni prædicti Abbatis piè accomodavimus aures noſtras , & explorato prius per expertos in talibus, ac deliberato conſilio ; barcam unam ad piſcandum generaliter apud Tarentum in mari parvo , & magno liberè, francè , & abſque ullo redditu eidem Monaſterio prò menſa Abbatis , & Monachorum ipſius in perpetuum donavimus , atque conceſſimus , ut à modo , & deinceps omni futuro tempore , prædicti Abbas , & Conventus , ac ſucceſſores eorum habeant , & poſſideant barcam unam in eadem Civitate Tarenti ad piſcandum liberè , francè , & ſine ullo redditu faciendo nobis , vel hæredibus , aut ſucceſſoribus noſtris . Imò prædicti Abbas , & Conventus habeant poteſtatem annis ſingulis jus prædictæ barcæ locare cui voluerint , vel ad Cabellam vendere ſine contradictione cujuſque . Et uti utilitas præfati Monaſterij in hac parte uberius procuretur , volumus , & concedimus , ut emptor, ſeu conductor juris barcæ prædictæ , quamdiu locatio , vel venditio ipſa duraverit , ſit exemptus ab omni angaria, niſi ſit angararius , & de genere angariorum qui Curiæ noſtræ de perſonali ſervitio teneatur ; & nihilominùs donavimus , & conceſſimus eidem ſacro Cœnobio in perpe-

tuum

Digitized by Google

nimenta; videlicet, medietatem totius redditus Sanctæ Trinitatis, Caſalem Avinelle, Eccleſiam Sancti Salvatoris, Eccleſiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Joannis Baptiſtæ de Cornu, Eccleſiam Sancti Nicolai de Appio: Caſtrum jugurii, & Eccleſiam Sancti Nicandri, videlicet Eccleſiam Sancti Petri quam ſita eſt in loco ubi curtiviculi dicitur cum omnibus rebus ſibi pertinentibus; Eccleſiam Sancti Joannis, quæ eſt ſita in loco Zizari cum omnibus rebus ſuis, Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ ſita in prædicto loco Zizari cum omnibus rebus ſuis; Eccleſiam Sancti Nicolai, quæ intus in caſtro Sancti Nicandri ſita eſt cum decimis de omnibus rebus ad ipſum caſtrum pertinentibus. Et omnia alia jura, dignitates, & libertates, quæ ex conceſſionibus, & donationibus prædictorum Dominorum præfato Monaſterio conceſſa ſunt, & donata: Inſuper, quæ in antea juſſis modis eodem Monaſterio concedi poterunt, & acquiri prænominato ablati, & ejus ſucceſſoribus ſine ullo ſervitio concedimus, & confirmamus, ac perpetui roboris firmitate munimus ſub optentu noſtræ gratiæ, noſtræ omnibus dittionis ſubjettis diſtrittè percipientes ſub pæna etiam perſonarum, & rerum, ne Monaſterio antedicto prædictæ noſtræ conceſſioni moleſtiam, vel gravamen aliquod ullo tempore audeat irrogare. Quicumq; vero contra hanc noſtram conceſſionem, & confirmationem venire perſupſerit tamquam contemptor, & violator noſtri mandati in perſona puniatur & rebus: Ad memoriam autem, & firmitatem hujus noſtræ conceſſionis, & confirmationis: præſens privilegium noſtrum per manus Petri noſtri Notarij ſcribi, & plumbea bulla Regio tipario inpreſſa fecimus inſigniri. Data in Urbe panormi per manus Majonis Scriniarij noſtri: Quia Robertus Cancellarius abſcens erat. Annò Incarnationis Dominicæ MCXLVI. menſe Auguſti Inditione nona. Anno verò Regni Domini Rogerii Dei gratia magnifici, & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ XVI. feliciter Amen.



Digitized by Google

X X.

1146 * IN nomine Dei æterni ; & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti . Rogerius divina annuente Clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Regiam auget beatitudinem Dei Eccleſias diligenti cura protegere, quæ ad earum tutelam pertinent vigilanti ſtudio providere . Reſidentibus itaque nobis in palatio Urbis Panormi cum clariſſimis filijs noſtris Rogerio Ducatus Apuliæ , & W. Neapolitanorum Duce , & Capuanorum Principe , & cum Comitibus , & magnatibus Regni noſtri Rao Venerabilis Abbas Monaſterij Beati Michaelis Archangeli ſiti in Monte Caveoſo , ad noſtram veniens præſentiam attulit ſigillum latinum factum à Nobis Guarino Abbati prædeceſſori ſuo , ſcriptum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo vigeſimo quarto Inditione quarta , deprecans, & devote exorans , ut ipſum privilegium ſerenitate noſtri Culminis innovatum , munitum , & in perpetuum Regiæ Excellentiæ auctoritate corroboratum redderemus . In quo continebatur qualiter nos amore Dei , noſtràque , & omnium noſtrorum Parentum ſalute conceſſimus, & confirmavimus omnes poſſeſſiones , & pertinentias , tàm mobiles, quàm immobiles , quas videlicet beatæ recordationis Domina Emma ſoror noſtra eidem Monaſterio , & Creſcentio ipſius Abbati conceſſerat , ſivè contulerat, & ſicut privilegio confirmaverat . Noſtra autem liberalitas ſua conſuetudine ad ſolita provocata honeſtis precibus prædicti Rahonis Venerabilis Abbatis favens , præfatum privilegium præſenti ſcripto, & innovari pariter, & corroborari fecit, tam eidem Rahoni Abbati , quàm ejus ſucceſſoribus in perpetuum valiturum ; quod noſtra juſſione ſcripſit Petrus noſter Notarius data in Urbe Panormi, quia Robertus Cancellarius abſens erat, per manum Majonis ſcriniarij. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo , quadrageſimo ſexto, menſe Septembri Inditione decima . Anno vero Regni Domini Rogerij Dei gratia magnifici , & Glorioſiſſimi Regis Siciliæ , Ducatus Apuliæ , & Principatus Capuæ ſexto decimo feliciter . Amen .

XXI.

XXI.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filijs Alferio Abbati Sancti Michaelis de Monte Caveoſo ejuſque Fratribus, tàm præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Si quando à Devotis Eccleſiæ filijs poſtulatur, quod honeſti conveniat, & à rationis tramite non diſcordet, petentium nos decet deſiderijs condeſcendere, & eorum pia vota effectu proſequente complere. Eà propter Dilecti in Domino Filij, miniſterio ſuſceptæ ſervitutis inducti, & precibus Dilecti Filij noſtri Zachariæ Regij Notarij propenſiùs inclinati, Monaſterium veſtrum, in quo Divino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium impræſentiarum legitimè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſeù alijs juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant; In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Eccleſiam S. Mariæ, quæ eſt in Civitate veteri, cum pertinentijs ſuis: Eccleſiam S. Simeonis: Eccleſiam S. Luciæ: Eccleſiam S. Martini: Eccleſiam S. Nicolai: Eccleſiam S. Mariæ Novæ: Eccleſiam S. Laurentij: Eccleſiam S. Juliani: Eccleſiam S. Laurentij de Murro: Eccleſiam S. Joannis de Avinella: Eccleſiam S. Nicolai de Pantanello: Eccleſiam S. Salvatoris: Eccleſiam S. Nicolai de Accio: Eccleſiam S. Mariæ de Cornu: Eccleſiam S. Benedicti de Acina: Eccleſiam S. Viti: Eccleſiam S. Nicolai: Eccleſiam S. Mariæ de Rio: Eccleſiam S. Mariæ de Abbate Lupo: Eccleſiam S. Nicolai de Obviano, cum omnibus ad eaſdem Eccleſias pertinentibus, & quæ Unfridus, & Goffridus, & Radulphus Filij ejus, præfatæ Eccleſiæ rationabiliter dederunt. Prætereà pia ſupplicatione prædicti Zachariæ Regij Notarij clementer inducti, Tibi Fili Abbas, & ſucceſſoribus tuis uſum Mitræ, & Anuli, in diebus Dominicis, & in aliis ſolemnitatibus, & in proceſſionibus Monaſterij veſtri, & Synodis Archiepiſco- 1174

piſcoporum, & Epiſcoporum, de Clementia Sedis Apoſtolicæ, indulgemus. Libertates quoquè ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & recolendæ memoriæ Rogerio Illuſtri Siciliæ Rege, & à bonæ memoriæ Emmà, quondam Comitiſſa Civitatis Severianæ autentico ſcripto, & ab alijs perſonis ſecularibus, Monaſterio veſtro conceſſas; & antiquas, & rationabiles conſuetudines ipſius Monaſterij, perpetuis temporibus illæſas, & integras manere ſancimus. Ea verò, quæ à quadraginta annis retrò idem Monaſterium noſcitur pacificè poſſidiſſe, vobis, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum confirmamus: Ita quidem, quod ſuper his nullo unquam tempore impeti debeatis, vel quomodolibet moleſtari. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excomunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce Divina officia celebrare. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus Poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeù quibuslibet fatigare vexationibus, ſed illibata omnia, & integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diæceſani Epiſcopi debita reverentia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisvè perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi præſumptionem ſuam, digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domni Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine, diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit Pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem, præmia æternæ pacis inveniant. Amen.


✠ Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.
✠ Ego Ubbaldus Hoſtienſis Epiſcopus SS.
✠ Ego Bernardus Portuenſis, & S. Rufinæ Epiſcopus SS.
✠ Ego Gualterius Albanenſis Epiſcopus SS.

✠ Ego

Digitized by Google

✠ Ego Joannes Presbyter Card. SS. Joannis, & Pauli Tit. Pammachij SS.
✠ Ego Joannes Presbyter Card. Tit. S. Anaſtaſiæ SS.
✠ Ego Guilielmus Presbyter Card. Tit. S. Petri ad Vincula SS.
✠ Ego Boſo Presbyter Card. S. Pudentianæ Tit. Paſtoris SS.
✠ Ego Petrus Presb. Card. Tit. S. Suſannæ SS.
✠ Ego Ardicio Diaconus Cardinalis S. Theodori SS.
✠ Ego Vitellus Diaconus Card. SS. Sergij, & Bacchi SS.

Datum Ferentini per manus Gratiani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Suddiaconi, & Notarij, 3. calendas Januarij Indictione VII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIV. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. Anno ſextodecimo.



XXII.

1222 FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ: per præſens ſcriptum notum facimus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod Joannicius ven. Abbas Monaſterij S. Michaelis de Monte Caveoſo fidelis noſter per fratrem Joannem unum videlicet de fratribus ſuis, quem ad præſentiam celſitudinis noſtræ traſmiſit quoddam privilegium Emmæ Comitiſſæ Civitatis Severianæ quondam amitæ noſtræ recolendæ memoriæ noſtro conſpettui preſentavit humiliter ſupplicans, & devotè, ut privilegium ipſum de verbo ad verbum tranſcribi, & tam ipſum privilegium, quam omnia, quæ continentur in ipſo, quæ videlicet dicta Comitiſſa obtulit, & conceſſit Monaſterio ſupradicto, concedere, & confirmare, ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, ac Fratribus eorumdem, & ipſi Monaſterio imperpetuum dignaremur, cujus tenor privilegij talis eſt: In nomine Domni noſtri Jeſu Chriſti Amen: Anno Incarnationis ejus 1110. menſe Septembris Indictione tertia: Ego quidem Emma Comitiſſa &c. ut ſupra fol. 18. Deindè ſequitur. Nos igitur conſiderantes ſacram religionem ipſius Monaſterij, & devotionem Fidei, quam Abbates, & fratres ejus ſemper ad noſtram Majeſtatem per effectum operis habuerunt, attendentes, & illuſtrem Regis Rogerij pietatem, qua memoratæ ſororis ſuæ opus acceptans dotationem ſimul, & devotionem ipſius Monaſterij per publicum quod vidimus authenticum confirmavit, concedimus, & nos Abbati Joannicio, & ſucceſſoribus ejus, ac fratribus eorumdem, & ipſi Monaſterio S. Michaelis de Monte Caveoſo in perpetuum privilegium præſcriptum, quod ei fecit prænomita Æmma fundatrix: & omniaque continentur in eo; tam videlicet poſſeſſiones, territoria, villas, cellas, obedientias, homines, quam etiam libertates, & imperpetuum confirmamus: Ad cujus conceſſionis, & confirmationis noſtræ memoriam, & robur perpetuo valiturum præſens ſcriptum inde fieri, & ſigillo noſtro juſſimus communiri. Datum Averſæ poſt Curiam Capuæ celebratam. Anno Dominicæ Incarnationis 1222. menſe Martij x. Indictionis.

XXIII.

XXIII.

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Extollunt nomen, & titulum beneficia principis conferentis Sedilla Majoris laudis, & gloriæ conferunt monumenta; per quæ Sacroſantæ Eccleſiæ, & loca religioſa perficiunt, & bonorum ſuorum ob Dei reverentiam ſtabilem recipiunt firmitatem. Ea propter per præſens privilegium notum fieri volumus univerſis, quod Joannicius vener. Abbas Monaſterij Sancti Michaelis de Monte Caveoſo fidelis noſter Monti noſtræ attentius ſupplicavit, ut illius intuitu per quem regnamus, & vivimus, bona omnia, quæ dictum Monaſterium juſtè tenet, & poſſidet, & privilegia ſibi à predeceſſoribus noſtris indulta confirmare de gratia dignaremur: Nos autem benigna conſideratione penſantes honeſtatem Religionis, quam dictus Abbas, & Conventus ipſius Monaſterij ſtudent devotiſſimè conſervare: Terras, Villas, Eccleſias, poſſeſſiones, Tenimenta, medietatem, etiam totius redditùs Civitatis Sanctæ Trinitatis, quæ hodie dicitur Turris Maris, & omnia alia jura, quæ ex conceſſione Emmæ Comitiſſæ Civitatis Severianæ olim amitæ noſtræ ipſius Monaſterij Fundatricis, & conceſſione etiam Unfredi, & Radulphi Machabei Domnorum Montis Caveoſi, ac Regis Rogerij Predeceſſorum noſtrorum memoriæ Recolendæ, vel quocumque alio juſto modo, eidem Monaſterio conceſſa, donata, & confirmata eſſe noſcuntur de ſpeciali celſitudinis noſtræ gratia confirmamus eidem: Confirmantes nihilominus ipſi Monaſterio omnia privilegia, dignitates, libertates, & bonos uſus habita, & obtenta per ipſum. Statuentes, & præſentis privilegij autoritate omnibus injungentes, ut nulla perſona omnimodo alta, mediocris, vel humilis Eccleſiaſtica, vel mundana, prædictum Monaſterium contra præſentis confirmationis, & gratiæ noſtræ formam, impedire, ſeù moleſtare præſumat, quod qui fecerit indignationem noſtri culminis ſe noverit incurſurum, ad cujus conceſſionis, & confirmationis gratiæ noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum præſens privilegium fieri, & Mandatis noſtro ſigillo juſſimus communiri. Data Neapoli poſt Curiam Capuæ celebratam. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo Menſe Aprilis x. Indictionis. 1222

XXIV.

Digitized by Google

## XXIV.

1231 GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis Filijs Joanni Abbati Sancti Michaelis de Monte Caveoſo, ejuſque Fratribus, tàm præſentibus, quàm futuris, Regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Si quando à devotis Eccleſiæ Filijs poſtulatur, quod honeſtati conveniat, & à rationis tramite non diſcordet, petentium. Nos decet deſiderijs condeſcendere, eorumque pia vota, affectu proſequente complere. Ea propter dilecti in Domino Filij, miniſterio ſuſceptæ ſervitutis inducti, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ, Prædeceſſoris noſtri, Monaſterium Sancti Michaelis de Monte Caveoſo, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidèm ſtatuentes, ut ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & Beati Benedicti regulam in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè, ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſeù aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & his, qui vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentijs ſuis. Eccleſiam S. Mariæ, quæ eſt in Civitate veteri, cum pertinentijs ſuis. Eccleſiam S. Simeonis. Eccleſiam S. Luciæ. Eccleſiam S. Martini. Eccleſiam S. Nicolai. Eccleſiam S. Mariæ Novæ. Eccleſiam S. Laurentij. Eccleſiam S. Juliani. Eccleſiam S. Laurentij de Murro. Eccleſiam S. Joannis de Avinella. Eccleſiam S. Nicolai de Pantanello. Eccleſiam S. Salvatoris. Eccleſiam S. Nicolai de Accio. Eccleſiam S. Mariæ de Cornu. Eccleſiam S. Benedicti de Acina. Eccleſiam S. Viti. Eccleſiam S. Nicolai. Eccleſiam S. Mariæ de Via. Eccleſiam S. Mariæ de Abbate-Lupo. Eccleſiam S. Nicolai de Obviano, cum omnibus ad eaſdem Eccleſias pertinentibus; & quæ Umfredus, & Goffridus, & Radulphus Filii ejus, rationabiliter Eccleſiæ præfatæ dederunt. Præterea tibi fili Ab-

bas,


bas, & ſucceſſoribus tuis uſum Mitræ, & Annuli, in diebus Dominicis, & in alijs ſolemnitatibus, & in Proceſſionibus Monaſterij veſtri, & Synodis Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum de Clementia Sedis Apoſtolicæ indulgemus. Libertates quoque ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & à recolendæ memoriæ Rogerio Illuſtri Siciliæ Rege; & à bonæ memoriæ Emmà quondam Comitiſſa Civitatis Severianæ autentico ſcripto; & ab alijs perſonis ſecularibus, Monaſterio veſtro conceſſas; & antiquas, & rationabiles conſuetudines ipſius Monaſterij perpetuis temporibus illæſas, & integras manere ſancimus. Ea vero, quæ à quadraginta retrò annis idem Monaſterium juſtè noſcitur, & pacificè poſſed ſſe, vobis, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum confirmamus; ità quidem, quòd ſuper his, nullo unquam tempore impeti debeatis, vel quomodolibet indebitè moleſtari. Cum autem Generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis, excomunicatis, & interdictis, non pulſatis Campanis, ſuppreſſa voce, Divina officia celebrare. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus Poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeù quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra, & illibata conſerventur eorum, prò quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolicæ autoritate, & Diœceſani Epiſcopi debita reverentia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisvè perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi præſumptionem ſuam, digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisquè ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat; ac à Sacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Noſtri Redemptoris Chriſti Jeſu, aliena fiat, atque in extremo examine, diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit Pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti; quatenùs, & hic fructum bonæ Actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS. ✠

Ego Joannes Sabinenſis Epiſcopus

Ego Jacobus Tuſculanus Epiſcopus.
✠ Ego Thomas Tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis
✠ Ego Guiffredus Tit. S. Marci Presbyter Card.
✠ Ego Singenbaldus Tit. S. Laurentij in Lucina Presbyter Card.
✠ Ego Octavianus SS. Sergij, & Bacchij Diaconus Card.
✠ Ego Rainerius S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card.

Datum Reatæ per manum Magiſtri Martini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarij 2. Kalendas Auguſti, Indictionis IV. Incarnationis Dominicæ, Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, Pontificatus verò Domni Gregorij Papæ Noni, Anno quinto.



# Series Abbatum Monaſterij Caveoſani

## Abbates Perpetui.

1065 Stephanus
1078 Simeon
1099 Creſcentius
1119 Guarinus
1145 Radulphus
1160 Joannes primus
1174 Alferius
1195 Michael primus
1200 Maurinus
1206 Joannes ſecundus
1220 Joannicius
1231 Joannes tertius
1239 Martinus
1259 Andreas primus
1267 Joannes quartus
1278 Guido
1300 Leo
1323 Herculanus

## ABBATES REGULARES A S. P. P. ELECTI.

1357 Petrus
1376 Ludovicus Baldella Eugubinus
1400 Antonius
14.. Stephanus, incertum Regularis an Secularis Abbas

## ABBATES SÆCULARES COMMENDATARIJ.

1487 Nicolaus Zacharias perpetuus Capellanus S. Mariæ Ciliæ
1443 Balthaſar Baucius Pronotarius Apoſtolicus



Digitized by Google

1484 Lucas Antonius Romuli à Florentia ibi Prof.
1487 Antonius ſecundus Ripalta à Placentia ibi Prof.
1490 Theodorus Baſtari à Mediolano ibi Prof.
1493 Georgius Brunis ab Alemania Paduæ Prof.
1499 Jacobus primus Dei à Florentia ibi Prof.
1501 Sebaſtianus . . . à Placentia ibi Prof.
1504 Jo: Franciſcus Lavagninus à Bobbio ibi Prof.

## ABBATES EX CONGREGATIONE CASINENSI

1506 Marcus . . . . à Cremona . . . . Prof.
1508 Benedictus primus Sergiandus à Sarzana Florentiæ Prof.
1512 Hieronymus primus Alibrandus à Meſſana ibi Prof.
1517 Benedictus ſecundus . . . à Novaria Prof. S. Salvat. Papiæ
1519 Paulus primus . . . . à Novaria Prof. S. Salvat. Papiæ ad
1521 Michael ſecundus Madalena à Monte Caveoſo ibi Prof.
1522 Andreas ſecundus . . . à Neapoli . . ibi Prof.
1524 Hieronymus ſecundus Guevara à Neapoli ibi Prof.
Michael ſecundus Madalena à Caveoſo ſecundo ibi Prof.
1527 Paulus ſecundus . . . à Trivio Profeſſus Peruſij
1528 Placidus primus . . . à Papia . Prof.
1533 Joannes Battiſta primus . . . à Monte Ferrato P. S. Spiritus Papiæ
1534 Antonius tertius . . . à Vicentia ibi Prof. quo eodem anno fuit
Abbas Secretus D. Severinus à Bitunto
1535 Jo: Battiſta Minius à Florentia ibi Prof.
Iſidorus primus Montegazius à Placentia ibi Prof.
1538 Laurentius . . . . à Mantua ibi Prof.

Vin-

Digitized by Google

Vincentius . . . . à Mantua Prof.
1540 Joa: Maria . . . . à Raguſio ibi Prof.
1541 Iſidorus primus Montegazius à Placentia ſecundo ibi Prof.
1546 Hieronymus ſecundus Guevara à Neapoli ſecundo ibi Prof.
1548 Hyppolithus primus à Terdonà Prof. S. Spiritus Papiæ
Bernardus de Adamo ab Averſa ibidem Prof.
1550 David . . . à Mediolano Prof. S. Spiritus Papiæ
1551 Michael ſecundus de Leone à Monte Caveoſo ibi Prof.
1556 Euſebius . . . . à Mantua Prof.
1558 Michael ſecundus de Leone à Caveoſo ſecundo ibidem Prof.
1563 Angelus primus . . . . ab Aquanigra Sublaci Prof.
1564 Adeodatus . . . . . à Valle Tellina Prof. S. Euph. Brixiæ
1566 Michael ſecundus de Leone à Caveoſo ibi Prof. tertia vice
1569 Jo: Evangeliſta Romena à Florentia ibi Prof.
1571 Egidius Sarnocenſus à Matelica Caveoſi Prof.
1576 Angelus ſecundus . . . à Caieta ibi Prof.
1577 Egidius Sarnocenſus à Matelica Prof. Caveſi ſecundo
1579 Michael tertius . . . à Brixia Prof. . . .
Victorinus primus . . à Panormo ibi Prof.
1580 Ciprianus . . . à Catana ibi Prof.
1582 Egidius Sarnocenſus à Matelica Prof. Montis Caveoſi tertio
1585 Hieronymus tertius Brugia à Peruſio ibi Prof.
1586 Andreas tertius . . . à Synveſſa Prof. Caſini
1588 Proſper Rapallus à Janua Prof. Buſchetti
1590 Egidius Sarnocenſus à Matelica Prof. Caveoſi quarto
Hylarianus . . . à Buxeto Prof. Aretij
1593 Columbanus Querela à Bobio ibi Prof.

1595

1595 Lucas Bartolinus à Bugiano Prof. Florentiæ
1598 Maurus primus Spinatius à Parma Prof. Parmæ
Gregorius Caſamatta à Caſtione Aretino Prof. Aretij
1600 Hylarianus . . . à Buſſeto ſecundo Prof. Aretij
1602 Alphonſus Villagut a Neapoli Prof. S. Severini
Iſidorus ſecundus de Agreſtis à Parma ibi Prof.
1604 Paulus tertius . . . à Coſentia Prof. Caſini
1608 Fabianus Cotica à Matera Prof. Caveoſi
1613 Alexander de Radulphis à Neapoli Prof. Cavæ
1614 Victorinus ſecundus Macedonius à Neapoli Prof. Caſini
1616 Jovita . . . à Caſtiglione Prof. Paduæ
1617 Modeſtus primus à Caſtro Abovino Prof. Mantuæ
Clemens primus à Neapoli Prof. S. Severini
1619 Conſtantius de Vicariis à Nola Prof. S. Severini
1621 Ludovicus ſecundus de Fenicis à Ferraria ibi Prof. à
1622 Innocentius Soldato à Florentia ibi Prof.
1623 Ignatius . . . ab Hydrunto Prof. Sublaci
1624 Lactantius Stella à Brixia Prof. S. Fauſtini
1625 Philippus . . . . à Venafro Prof. Neap.
1626 Maurus Caſtelli ab Altamura Prof. Caveoſi
1628 Joſeph Vulpicella à Sarno Prof. Cavæ Adminiſ.
1629 Maurus Caſtelli ab Altamura iterum
1631 Fulgentius . . . . ab Urbe Prof. Sublaci
1632 Placidus ſecundus . . . . . à Neapoli
1634 Fulgentius . . . ab Urbe ſecundo Prof. Sublaci
1636 Victorinus tertius Sciatica à Salerno Prof. Averſæ
1638 Flaminius primus Cuculus à Ravenna ibi Prof.
1639 Honoratus primus Falconius à Volterra P. Florentiæ
Honoratus ſecundus Arcellus à Placentia ibi Prof.
1640 Jo: Battiſta tertius Squillante à Neapoli ibi Prof.
Angelus tertius Ciullus à Florentia ibi Prof.
1642 Candidus Mannus à Senis ibi Prof.
1643 Clemens ſecundus Petronellus à Gravina Prof. Caveoſi à

1645

1645 Zacharias Platamonus à Panormo ibi Prof.
1947 Marcus Antonius Veſpignanus ab Urbe Prof. Perusij
Euthjchius Pizzius à Parma ibi Prof.
1648 Honorius Gennellus ab Urbe ibi Prof.
1650 Clemens tertius Petronellus à Gravina Prof. Caveoſi ſecundo
1652 Robertus Alberti à Senis ibi Prof.
1655 Angelus Maria de Flore à Caveoſo ibi Prof.
1659 Baſilius Brozzi à Florentia ibi Prof.
1660 Severinus primus Melazzius à Vigilijs Prof. S. Severini
1661 Joachinus Bozzius à Papia Prof. S.Salvatoris
1663 Angelicus Azzonus à Ferraria ibi Prof.
1664 Angelus Maria de Flore à Caveoſo ſecundo ibi Prof.
1665 Dominicus primus de Amore à Neap. Prof. Caſini
1666 Dominicus ſecundus Montemelinus à Montopoli Prof. Sublaci
1667 Hipolithus ſecundus Berarducius à Vigilijs Prof. S. Severini
1668 Severinus ſecundus Pepe à Neap. Prof. Caſini
1669 Modeſtus ſecundus Vendaminus à Cæſena ibi Prof.
Michael Angelus Ferrarius à Neap. Prof. Averſæ Admin.
1670 Cyrinus de Sanctis à Senis ibi Prof.
1671 Raphael Riarius à Neap. Prof. Caſini
1674 Anſelmus Fainus à Caſtiglione Prof. Mantuæ
1676 Andreas quartus Bigonus à Papia Prof. S. Spiritus
Auguſtinus de Amicis à Neap. Prof. Caſini Adminiſt.
1677 Clemens tertius Biondi ab Urbe Prof. Romæ
1678 Franciſcus de Sanctis à Gravina Prof. Caveoſi & Senarum
1682 Severinus tertius Boccius ab Aſculo Prof. Cavæ
1684 Placidus tertius Baucius à Capua Prof. Averſæ
1690 Severinus quartus Sifola Prof. S. Severini
1693 Angelus quartus Tuccius à Gravina Prof. Caveoſi
1699 Conſtabilis Simone à Cava ibi Prof.
1703 Flaminius ſecundus Avanzi ab Urbe Prof. Sublaci

1705

1705 Angelus quartus Tuccius à Gravina ſecundo Prof. Caveoſi
1711 Flaminius ſecundus Avanzi ab Urbe ſecundo Prof. Sublaci
1714 Placidus quartus Sala Romanus ibi Prof.
1717 Seraphinus Tanſi a Mathera Prof. Caveoſi
1722 Jacobus ſecundus Navarretta a Neapoli Prof. Caſini
1725 Alexander ſecundus Picolomineus à Senis ibi Prof.
1731 Idelfonſus del Verme a Neap. Prof. Caſini
1734 Leopoldus Cappellus à Venetiis Prof. S. Georgij
Placidus Caparelli à Neapoli Cancellarius Congregationis Adminiſtrator P. S. Severini
1735 Seraphinus Tanſi à Mathera ſecundo Prof. Caveoſi
1741 Placidus Caparelli à Neapol. Prof. S. Severini
1742 Hieronymus Santorius à Mathera Prof. Caveoſi



Digitized by Google

# SERIES GENEALOGICA
## PRINCIPUM,
## QUI MONASTERIUM
# S. MICHAELIS
# ARCANGELI
## MONTIS CAVEOSI

*Privilegiis ornarunt, muneribus auxerunt*
*ex Nortmannica Stirpe*

## TANGREDI ALTAVILLÆ
## COMITIS

Ob grati Animi Monumentum
deducta.

Digitized by Google

Digitized by Google

# OCCASIO SCRIBENDI.

INcidit in cujuſdam manus mea, quam ſcriptis mandaveram, Hiſtoria chronologica Caveoſani Monaſterij; in qua cum ille nonnulla levi cenſura notaſſet, omninò tamen, ut futile mendacium delendum contendit, quod Nortmannorum Principum munificentiæ in ipſo narrationis exordio exhibueram teſtimonium: Qua enim fronte, ajebat, aſſeri poteſt; *omnia ferè jura, libertates, ac latifundia ab hoc Cænobio poſſeſſa, Nortmannorum pijs manibus accepta deberi*, cum ab alijs quoque pluribus, & magna, & multa donata fuiſſe, ipſamet Hiſtoria demonſtret? Riſi, fateor, inconſultam objurgationem, quàm ſatis, ſuperque prudens Lector me præcaviſſe fatebitur, ſi locum cenſoria virga notatum percurrere dignetur. Verùm, ut omninò cenſuram diluerem, & noſtratibus id enixè poſcentibus morem gererem; Animum applicui ad ſeriem genealogicam texendam illorum, qui in hoc Monaſterium pios, ac liberales ſe præbuere; ut invictis Hiſtoricorum teſtimonijs tandem appareat, eos omnes (de Principibus loquor ſæcularibus) nedum ex Nortmannica Gente fuiſſe progenitos, verùm etiam ab uno, eodemque ſtipite Tancredi Altavillæ Comitis, ſi paucos quoſdam exceperis, germinaſſe. Et quamvis perſæpè plures recenſeri oporteat, quibuſcum noſtrum Monaſterium nihil habet commune; attamen ità faciendum fuit, ut perpetua ſeries habeatur præfatæ ſtirpis; cujus nedum Truncus, ſed Rami quoque uberrimos, lectiſſimoſque fructus attulere.

Alios nonnullos cenſor excitavit ſcrupulos, quos tamen narraſſe, diluiſſe eſt; quod enim aſſeruerim, Gualterium, & Umfredum anno 1065. Monaſterio Eccleſiam donaſſe S. Mariæ, ampliſſimis redditibus dotatam, quamvis de ſola Eccleſia Diploma Stephani ingerat mentionem, illius temporis Diſciplinæ congruit; cum nulli tunc liceret ſine dote Eccleſiam conſtruere, ut domeſticum Radulphi Privilegium anno 1099. menſe Septembris conceſſum evincit, præter alia plura, quæ larga manu ſuggeri poſſent ex ſacræ eruditionis penu, ſi in hiſce notiſſimis immora-

ri liceret: Quemadmodum etiam haud difficile foret; ſacrorum Canonum aptiſſimo teſtimonio docere, quod non temere dictum ſit, à laudato Epiſcopo Stephano conceſſam fuiſſe Abbati Caveoſano facultatem publicas pænitentias irrogandi, quas cenſor à ſolo Epiſcopo infligi poſſe afferebat, ſolemnes cum publicis pænitentijs non aptè confundens. Sed Lectorum otio abuti, eorumque eruditioni diffidere viderer, ſi omnes ſcrupulos in noſtram Chronologiam excitatos diluerem, cum ſatis ſit aliquos protuliſſe, ut ex ijs candidus Lector, cujus ponderis reliqui ſint, valeat perpendere.

## PRÆLOQUIUM IN ARBOREM GENEALOGICAM GENTIS ALTAVILLANÆ.

Dania Aquilonaris Provincia, hominum quidem feraciſſima, cæterum illis alendis impar ob Regionis ſterilitatem, Nortmannorum fuit natale ſolum. Hi familiari conſuetudine alienas Terras invadendi, ad uberiorem ſibi victum parandum, ſæculo nono cùm ingenti claſſe, Rollone Duce, ſe Oceano committentes, Vaſconiam Galliæ Provinciam primùm tenuere. Deindè Portum, quo Sequana Fluvius in mare ſe exonerat, ſubeuntes, interiora Galliæ, urbemque ipſam Pariſios populati ſunt, obvia quæque cædibus, ac incendijs complentes. His cladibus Carolus Simplex tùm Galliarum Rex, à ſuorum majorum virtute degener percitus, & deſperans juſtis armis Barbarorum rabiem poſſe compeſcere, eos in amicum fædus, Regniq; ſocietatem adſcivit, Neuſtria Provincia in Feudum tradita (Nortmanniam modò vocant) ab ipſis prius occupata. Et ut novam ſocietatem ſolidiori nexu firmaret, Gillam ſororem (alij filiam dicunt) in uxorem tradidit eorum Duci Rolloni, qui ſacro fonte expiatus à Rothomagenſi Præſule, Robertus inpoſterùm vocari voluit.

Ex hoc autem Conjugio prodijt anno 912. Vuillelmus Longoſpatha, cui Sporta Regij ſanguinis femina filium peperit anno 939. Riccardum ſeniorem Altavillæ Comitem, Bellis contra Lotharium feliciter geſtis clariſſimum.

Hic

Hic verò à Gumaride ſecunda Uxore filium excepit æquivocum Riccardum ſecundum, à quo ex Juditha Britannorum Comitis filia Riccardus tertius natus eſt. Deindè ab hoc, vel ut alijs placet, à Roberto Angliæ Conqueſtore Riccardi ſecundi filio ſecundo, vel à Vuillelmo Roberti Conqueſtoris Fratre Nortmanniæ Duce, Tancredus Altavillæ Comes tertio loco prodijt, qui præclariſſimus fuit tot Principum per totam Europam, ſed præcipuè in utraque Sicilia, & Hiſpania parens; quemq; jure meritò ſtipitem decrevimus noſtræ Genealogicæ Arboris, cujus exorſi ſumus deſcriptionem, Hiſtoricorum melioris notæ ducti teſtimonio; quamvis non ignorem plurimùm Auctores in hiſce Genealogijs texendis, & in annis conſignandis invicem diſſidere; Et quod mirari ſubit, etiam inter Auctores contemporaneos hæc viget diſcrepantia, & præcipuè in filijs Tancredi recenſendis; quamvis enim eos duodecim fuiſſe dicant, illorum tamen aliquos non ijſdem inſigniunt nominibus, & in eorum Matre deſignanda haud ſunt conſtantiores. Nos autem, quæ communiori calculo probantur, referemus, brevitati, quoad fieri poterit, ſtudentes.

## GENS ALTAVILLANA.

TAncredus Altavillæ Comes, ex duabus Uxoribus, præter plures filias, duodecim filios (*a*) excepit; Ex Moriella namque nati ſunt ei Vuillelmus, Drogo, Umfredus, Gaufridus, & Serlo; mortua autem Moriella, æquè fæcundam duxit Friſennam, quæ Robertum Viſcardum enixa eſt, Malgerium, Vuillelmum alterum, ſeù (ut alij vocant) Frumentinum, Alberardum, Ubertum, ſeù Gotifredum, Tancredum, & Rogerium Boſſum.

Vuillelmus, ob corporis inſigne robur dictus Ferrobrachius, ingentis animi Juvenis, nobili Nortmannorum, qui jàm in Italia militari fama celebrabantur, tactus æmulatione; aſſumpto ſecum Drogone fratre, cum exigua militum manu ex Gallia in Campania militatum venit; & pri-

(*a*) Malaterra lib. primo.

primùm ſub Principe Capuano meruit ; deindè ad Guimarium Salerni Principem accedens, Nortmannorum nomen, rebus fortiter, præclarèque geſtis, adeo celebre fecit, ut à Maniaco Conſtantinopolitani Imperatoris in Apulia Duce Auxiliaris accitus fuerit ad vindicandam à Sarracenis Siciliam ; ubi cum ſuis appulſus Vuillelmus, brevi Meſſanam, expugnat, feliciqúe utens fortuna, hoſtes acie fuſos pluribus oppidis exuit. Verùm in ſpoliorum partitione fraudatus à Maniaco, in Apuliam transfretavit; ſociatiſque armis cum Rainulpho Nortmanno Averſæ Comite, alijsque ejuſdem gentis Primoribus, Græcos pluribus prælijs attritos, tota ferè Apulia ejecit ; ubi anno 1042. Comes Aſculi dictus, paulòpoſt primus Apuliæ Dux, omnium ſuffragio renunciatur ; tùmque fundamenta poſuit ampliſſimæ dominationis, & ad regium utriuſque Siciliæ Diadema ſuis Nepotibus comparandum, viam ſtravit. Tandem anno 1046. moriens, Venuſiæ ſepelitur ad S. Trinitatis, ut conſtat ex Inſtrumento anni 1098. à Roberto de Principatu ejus filio cum Petro Abbate (*a*) dicti Monaſterij inito. Præter hunc autem Robertum de Principatu Patrem Vuillelmi Comitis S. Euphemiæ in Calabria, & præter Tancredum ; etiam Ferrobrachij filius fuit quidam Riccardus, ut legimus in quodam Diplomate (*b*) apud Rocchum Pyrrhum.

Drogo anno 1046. Apuliæ Dux factus cum militari prudentia, & chriſtiana pietate plurimum commendaretur, proditione interimitur anno 1051., relicto filio Riccardo Syniſchalco (*c*), & filiabus (*d*) Roccha, & (*e*) Amburga.

Umfredus in Fratris locum ſucceſſit, & paulòpoſt Leoni Papæ fidelitatis ſacramentum dicens, in Feudum ab eo conſecutus eſt Apuliam, Calabriam, Siciliam, & quicquid ipſe, ejuſque Fratres adepti, adepturique eſſent in poſterum. Sed anno 1056. fato ceſſit, deſignatis in Ducatu ſucceſſoribus filiis Abegelardo, & Hermanno, qui à Patruo

Ro-

(*a*) Ughell. Tom. 7. in Venuſ.
(*b*) Sicil. ſac. Tom. 2. fol. 156.
(*c*) Ughell. in Baren.
(*d*) Ammiratus in Capuanis, & Sannaz.
(*e*) Ughell. in Neocaſtrens.

**Roberto Viſcardo expulſi, Conſtantinopoli obierunt** extorres.

De Gaufrido, alijſque fratribus, qui in Gallijs remanſere, vel Apuliæ Duces non fuerunt, à nobis hic non eſt agendum; quia à noſtro Inſtituto ſunt alieni.

Roberti verò Viſcardi, & Rogerij Boſſi Genealogias, fuſiori calamo expendemus infrà; Nàm priùs de Tancredi Altavillani filiabus agendum eſt; ut indè præclariſſimæ gentis Machabææ erga noſtrum Monaſterium tam egregiè affectæ geneſim eruamus.

Plures apud Authores Tancredi Altavillæ Comitis filias reperire licuit, quæ Fratres in Italiam, patrio Solo relicto, ſecutæ ſunt, quarum.

Prima fuit Frideſinna Riccardo primo Averſæ Comiti, & Principi Capuæ nupta, quæ edidit Jordanum Capuæ, & Cajetæ Principem, anno 1090. mortuum, & Caſini ſepultum (*a*).

Altera fuit Anonyma quædam (*b*) Vualmanni Conjux.

Tertia Emma dicitur Odoni Bono Marchiſio (*c*) copulata, ex qua Tancredus ille prodijt in ſacra expeditione cruceſignatus, qui mira edidit militaris fortitudinis facinora; mirabiliora tamen de eo fabulatus eſt Torquatus Taſſus in ſuo Epico Poemate.

Duas alias Anonymas Tancredi filias aſſerunt Authores in Apulia nupſiſſe, alteram Goffrido Comiti Caveoſano, & alteram Tancredo Converſanenſi; quarum præter alios meminit (*d*) Peregrinius.

Verùm unam, eamdemque fuiſſe crediderim, quæ mortuo Gaufrido, cui peperit Robertum Caveoſanum, nupſerit Tancredo Goffridi Converſanenſis parenti, ut diſertè innuit Gulielmus (*e*) Appulus.

> Doctior his aderat Robertus de Scabioſo,
> Monte Comes dictus, Goffridi Frater, & Ambo.
> Orti Germana fuèrant Ducis = Viſcardi nempè,

con-

(*a*) Chron.Caſin.lib.4.cap.10.
(*b*) Rerum Ital Tom.5.fol.281.
(*c*) In muſeo Mab:ll. fol. 136., & 215. Belli ſacri.
(*d*) Prima part. Hiſtor.Gap.in Tab. Geneal.
(*e*) De Geſtis Nortmann.lib.3.

contra quem arma induerant, ut ſuas, & Abegelardi eorum ſobrini injurias propulſarent.

Et ne quis ſuſpicetur Goffridum, cujus nunc meminit Appulus, alium eſſe à Converſanenſi, de eodem (a) alibi cecinerat:

Peluſij Montis Caſtrum pavefactus adire
Goffridus properat, ſed Dux quod non valet armis
Arte capit Caſtrum.

Quod ità contigiſſe narrat (b) Malaterra.

„ Inde Robertus Dux, Gaufridum de Converſana Nepotem ſuum (Filius quippè ſororis ſuæ erat) ut de Monte Piloſo ſibi ſervitium, ſicut de cæteris Caſtris, quæ plurima ſub ipſo habebat, exhiberet, adorſus eſt; quodque ab ipſo ſicut, & cætera minimè acceperat, ſed ſua ſtrenuitate, Duce ſibi auxilium non ferente, per ſe ab hoſte lucratus fuerat, renuente, Dux admoto exercitu, idem Caſtrum obſeſſum vadit, multiſque militariter ex utraque parte patratis, tandem, ut de eodem Caſtro, ſicuti de cæteris ſibi ſervitium promittens exhiberet, compulit; hæc Malaterra. Cum igitur certum ſit, Robertum Caveoſi, & Goffridum Converſani Comites eadem ex Matre natos eſſe; extrà dubium erit, eamdem, quæ Filia erat Tancredi, & Soror Viſcardi, nuptam priùs Caveoſano Comiti, nupſiſſe deindè Comiti Converſani.

Non ignoro Goffridum Caveoſanum, Maritum N. Altavillanæ, à Peregrinio creditum fuiſſe Fratrem Radulphi Machabæi, & Filium Umfredi; ac proindè multò juniorem Roberto Caveoſano Goffridi Converſanenſiſ Fratre, attamen ratio temporum, id nullatenùs patitur, quo enim pacto Gaufridus Umfredi Filius, & Frater Radulphi potuit circa annum 1090. Filiam Tancredi ducere devexæ jàm ætatis? Siquidem Rogerius Boſſus Filiorum Tancredi ultimus, dum anno 1101. diem clauſit extremum, erat ſeptuagenario major.

Errandi autem anſam indè Peregrinium ſumpſiſſe reor; quod Umfredus ad Gaufridi ſui Patris, vel ſi mavis Soceri Nomen renovandum, ut fieri aſſolet, Filium primum

Avo

(a) Lib. 2.

(b) Lib. 2. cap. 39.

Digitized by Google

Avo cognominem fecit; Et quia Nepos ſua ad bellum ſacrum expeditione, hoc Gaufridi nomen reddidit illuſtrius; facile Peregrinio fuit, ſeniorem Gaufridum N. Altavillanæ maritum, cum Gaufrido juniore, quem innuptum obijſſe ſuſpicor, confundere.

Et hic ſanè juvat obiter cum Caracciolo (*a*) monere; tria potiſſimum Lectoribus in Nortmannorum Hiſtoria negotium faceſſere: Primùm, quod plures ejuſdem Nominis fuerint Synchroni; quot enim ſimul vocati ſunt Rogerij, Tancredi, Vuillelmi? Secundum, quod idem non ſemel diverſimodè nuncupatur; ſic qui Radulphus dicitur, ſæpè Raul, Rao, & Rollo indigitatur; & Gaufridus ſcribitur, qui alibi Goffredus, Loffredus, & Roffridus vocatur: Tertio demùm ingerit confuſionem dignitatis, & Dominij multiplex deſignatio, modo enim quis Comes, modò Dux, Senior, vel Dominus hujus, vel alterius loci nominatur, quin etiam ipſa locorum Dominia identidem mutabantur, cum enim Primores Nortmanni Apuliam ſinguli ſuis occupaſſent auſpicijs, hinc factum eſt, ut qui alicujus Civitatis, vel oppidi Dominus erat, paulopoſt alterius Dominij nomenclaturam aſſumeret, & non ſemel ejuſdem loci plures ſimul ſe Dominos venditabant, ut eruditè monet (*b*) Freccia.

Hæc autem omnia longiuſculè idcircò proſecutus ſum, ut tandem perſcrutari liceat, quinam fuerint Umfredi Caveoſani Comitis Parentes, cujus nomen ob innumera in noſtrum Monaſterium collata beneficia, celeberrimum ſemper in noſtris erit annalibus, ejuſque memoria illuſtris æternùm manebit.

Nec enim moror, Blaſium in ſua brevi Montis Caveoſi deſcriptione ſcriptum reliquiſſe, Umfredum noſtrum Filium fuiſſe Vuillemi Ferrobrachij, quem Tancredo Altavillano Moriella prima ejus Uxor pepererat, cum nullo nitatur Hiſtoricorum, quod ſciam, teſtimonio, nec ulla ex antiquis inſtrumentis deſumpta conjectura fulciatur.

Quidam ſuſpicantur, Umfredum Filium fuiſſe Gaufri-

 di

(*a*) In antiquis Regni Chronologis.

(*b*) De ſubfeudis lib.1.cap.14.n.68.

di Comitis Caveoſani Fratremque Roberti itidem Caveoſani Comitis, ex N. Altavillani Tancredi Filia natum; in duobus enim Diplomatibus (*a*) anno 1068. in favorem Epiſcopi Tricaricenſis ab eodem Roberto expeditis, in quibus ſe Caveoſi Comitem, & Tricarici Gubernatorem dicit, Umfredus ità ſubſcribit: *Umfredus de Monte Scabioſo*; quare enim ajunt: *Umfredus* diceretur *de Monte Scabioſo*, ſi Frater, aut Filius non eſſet Roberti Comitis Caveoſani? Attamen hoc ipſum me movet, ut negem Umfredum Fratrem, aut Filium fuiſſe Roberti, id enim in Diplomatis decurſu aſſeruiſſet Robertus, more in Nortmannorum chartis conſtanter illis temporibus uſurpato.

Quod igitur Umfredus ſine aliquo adjecto ſe ſolum de Monteſcabioſo dixerit, indicat affinitatem aliquam Umfredo cum Roberto interceſſiſſe; & hanc indè ortam reor, quod Beatricem Uxorem duxerit Roberti ſcrorem, aut filiam; cujus affinitatis titulo Umfredus, Roberto poſt annum 1068. mortuo abſque liberis, Caveoſum adeptus eſt; cum Roberto vivente ſolum Civitatis veteris Caveoſo adjacentis (*b*) Comes fuiſſet, qua dotis nomine fortaſſe fuerat donatus à Leviro, aut à Socero.

Ex hoc etiam Conjugio cum Beatrice contracto originem ducit illa ſanguinis neceſſitudo, qua antiqui Converſani, & Caveoſani Comites jungebantur; cum Beatrix Umfredi Uxor, Soror, vel filia Roberti Caveoſani, ſoror itidem, vel Nepos fuerit Gaufridi Comitis Converſani.

Nec mirum videri debet, quod tùm Umfredus ſe de Monte Scabioſo dixerit in Diplomatibus Roberti, cum Caveoſanus Comes adhuc non eſſet, nam etiam anno 1137. Robertus Medietatis Nohæ Dominus, ſe ſuumque Patrem Guidelmum, noſtri Umfredi filium vocitât (*c*) *de Monte Scabioſo*, quamvis neuter umquam fuerit Comes Caveoſi. Quin etiam Robertus Viſcardus (*d*) ante annum 1051. etiam ſe Montis Scabioſi ſubſcripſit in Diplomate Drogonis, quamvis per id tempus crediderim Caveoſanum Comitem fuiſſe Gaufridum Seniorem, qui Comitatum illum à præfato Viſcardo fuerat Dotis titulo adeptus, ejus ſorore in

(*a*) Ughell.Tom.7. in Tricaricen.
(*b*) Regeſtum 1065.
(*c*) Ughell.Tom.7. in Baren.
(*d*) Idem in Venuſinis.

Digitized by Google

in uxorem ducta ; ità ut , cum Gaufridus erat Comes, Viſcardus Caveoſi titulum adhuc retinebat , quem tandem abjecit , dum Calabriæ Dux fuit renunciatus.

Umfredus igitur , quamvis illuſtri Nortmannorum ſanguine ortus , ut ipſemet de ſe (*a*) fatetur , ex Altavillano tamen ſtipite non prodijt , ſed eidem felici tantum inſitus eſt conjugio cum prælaudata Beatrice contracto ; unde gens Machabæa manavit , præcipuus noſtræ genealogicæ arboris ſurculus ; cujus fructus antequam delibemus , Tancredi Altavillani Filios , ac Nepotes , qui noſtram Hiſtoriam propiùs attingunt , hoc in ſchemate digerere juvat.

Tancredus Altavillæ Comes

Vuillelmus , Viſcardus , Drogo , Rogerius , N. Converſani
Ferrobrachius
Boſſus & Caveoſi

Tancredus, Robertus , Riccardus
de Principatu

Riccardus , Rocca, Amburga
Siniſcalcus

Vuillelmus
S. Euphemiæ

Robertus , Goffridus , & forſan Beatrix
Caveoſi Converſani



(*a*) Regeſtum anno 1078.

# MACHABÆA GENS
## CAVEOSI DOMINA

BEatrix, Anonymæ Altavillanæ, & Tancredi Converſanenſis, vel Gaufridi Senioris, Caveoſi Comitis Filia, aut ſi mavis, ex præfato Roberto Caveoſano N. Altavillanæ Filio nata, Umfredum inter Nortmannos nobiliſſimum conjugem nacta eſt, quem plurimum liberorum Patrem fecit, nempè Gaufridi, Radulphi, Guidelmi, Roberti, & Adelaciæ. Umfredus autem primus, quem ex Archivij chartis eruimus, fuit noſtri Monaſterij ad ultimam egeſtatem redacti Inſtaurator, ſcriptis (præter donationem S. Mariæ Gratiarum) in ejus gratiam ſex ampliſſimis Diplomatibus, quorum Archetypa, egregiæ pietatis inſignia documenta, adhùc ſuperſunt.

Gaufridus, qui Patri in Caveoſano Comitatu poſt annum 1093. ſucceſſit, Bohamundum Viſcardi Filium cum alijs cruceſignatis ſecutus, contra Sarracenos fortiter dimicans Kal. Julij anno 1097. occubuit, Martyris titulo à belli ſacri Scriptoribus decoratus. Umfredi Patris quinque poſteriora Diplomata ſuæ manus ſigno roboravit, ideoque inter eos collocandus, qui in Monaſterium liberales, ac munificos ſe præſtitere.

Guidelmus, tertius Umfredi filius, qui deindè Ceriliani Dominus fuit, una ſimul cum Radulpho Fratre ampliſſimum ſcripſit prò Monaſterio Privilegium, & deindè bona aliqua Eccleſiæ S. Nicolai Hoſtiliani donavit, ejuſque filius fuit Robertus (*a*) qui erat Medietatis loci Nohæ Dominus.

Robertus quoque primùm Radulphi Privilegium ſuo calculo comprobavit.

Adelacia etiam Filia fuit Umfredi, ejuſque meminit Radulphus Frater in ſuo Diplomate anni 1099. menſe Septembris.

Radulphus Machabæus Umfredo Comiti ſecundo loco natus, Raho, & Rahul etiam dictus, Fratrem Gaufridum in

(*a*) Ughell. Tom. 7. in Baaen.

in Caveolano Comitatu excepit; omnium primus dictus eſt Civitatis Severianæ Dominus, primumque ſeperio, qui Machabæi agnomen aſſumpſerit, quod poſteà Filius (a) & Fratres retinuerunt. Tria, eaque ampliſſima ſcripſit prò Monaſterio Privilegia; Eique Emma Uxor, Rogerij Boſſi Comitis Filia, de qua inferiùs agetur, Filium peperit Rogerium Machabæum, & duas filias Juditham, & Adelaciam.

Rogerius Machabæus, Radulphi Filius, paternæ pietatis hæres, unà cum Matre Emma plura Monaſterio largitus eſt; & Juvenis abſque liberis ante annum 1124. fato ceſſit.

Juditha Rogerij Machabæi ſoror, Rogerio de Montibus Pomarici Domino in matrimonium copulata, utillimum in favorem Monaſterij, ſimul cum marito, Diploma conſcripſit.

Adelacia Judithæ ſoror, eàque minor natu, aliqua Matris, Fratriſque Monaſterio collata Privilegia, ſua etiam manu ſignavit; deindè à Rogerio Avunculo Siciliæ Rege in Siciliam circa annum 1123. devecta, nuptui tradita eſt Raynaldo de Aquila, cui Adamum Avellini Comitem genuit, Simonem Comitem Buteræ, & Mathildem. Fallitur autem Rocchus Pyrrhus in ſua Chronologia, aſſerens Rogerium Avellinum (non Avinellum), qui Regis Rogerij Coronationi interfuit anno 1129., filium fuiſſe Adami ex N. Regis Rogerij filia ſuſceptum, nam Adelacia Adami Mater paulò antè annum 1130. nupſerat; undè Rogerij Avellini Avia eſſe non potuit. Gentis autem Machabææ Diatypoſin ſubijcimus.

Um-

(a) Idem in Acherunt.

Digitized by Google

Umfredus ; & Beatrix

Adelaſia , Goffridus , Radulphus , Robertus , Guidelmus

Robertus D. Noh

Adelaſia , Rogerius Machabæus , Juditha

Simeon , Adam , Mathildis

RO.

Digitized by Google

## ROBERTI VISCARDI PROGENIES.

Roberti Tancredi Altavillani ex Friſenna ſecunda Uxore Filius, ob vafritiem Guiſcard à Sarracenis per contumeliam vocatus, quod ipſe tamen in ſui laudem vertit, quindecim militibus in ſuæ fortunæ ſocios delectis, ad Fratres in Apuliam venit, primuſque, quod ſciam, Montis Caveoſi (*a*) Comes fuit; deinde mortuo Umfredo Apuliæ Duce, ejuſque filijs Abagelardo, & Hermanno ejectis, quos Pater contra fœdus cum ſuis Fratribus initum, ut ſibi invicem in Ducatu Apuliæ ſufficerentur, ſtatuerat hæredes, Regio in Calabria potitus, & Troja, nonnulliſque alijs locis in Apulia, poſt plures concertationes in Melphij Conventu anno 1059. habito, à Nicolao Secundo Papa per vexillum, Apuliæ, & Calabriæ Dux renunciatur; cum ſe ligium Romanæ Eccleſiæ ea conditione feciſſet, ut annui tributi nomine, duodenos prò ſingulis Boum jugis denarios Papienſes penderet. Hinc brevi, in Apulia, & Calabria pluribus Dynaſtis ſubactis, in Sicilia triumphatis Sarracenis, ab urbe fugato Occidentis Imperatore, Romanoque Pontifice in libertatem aſſerto, cum Venetorum Claſſem ad internecionem uſque profligaſſet, & orientalis Imperij vertici proximè immineret, gloria onuſtus, anno 1085. ſextodecimo Kal. Auguſti in Inſula Corcyrenſi, incertùm, an veneno abſumptus, ex profluvio Corporis annum natus 64. interije: Princeps, in quo pietas, & bellica virtus ex æquo enituit; adeòut (*b*) aliqui ipſum poſt mortem miraculis inclaruiſſe affirmarint.

Ex prima uxore Albereda Marcum Bohamundum habuit; qua ob conſanguinitatis gradum Canonicis Sanctionibus vetitum repudiata, Sychelgayttam Guaimarij Principis Salernitani Filiam deſpondit, quæ ei Rogerium Burſam enixa eſt. Demùm Adalam Roberti Flandriæ Filiam duxit, ex qua alios plures Filios habuit, de quibus non eſt, quod loquamur; ſicuti etiam & de quinque ejus Fili-

lia-

(*a*) Ughell. in Venuſin is fol. 219.
(*b*) Ptolemæus Lucenſis in Chron.

primùm ſub Principe Capuano meruit ; deindè ad Guimarium Salerni Principem accedens, Nortmannorum nomen, rebus fortiter, præclarèque geſtis, adeo celebre fecit, ut à Maniaco Conſtantinopolitani Imperatoris in Apulia Duce Auxiliaris accitus fuerit ad vindicandam à Sarracenis Siciliam ; ubi cum ſuis appulſus Vuillelmus, brevi Meſſanam, expugnat, felicique utens fortuna, hoſtes acie fuſos pluribus oppidis exuit. Verùm in ſpoliorum partitione fraudatus à Maniaco, in Apuliam transfretavit; ſociatiſque armis cum Rainulpho Nortmanno Averſæ Comite, alijſque ejuſdem gentis Primoribus, Græcos pluribus prælijs attritos, tota ferè Apulia ejecit ; ubi anno 1042. Comes Aſculi dictus, paulòpoſt primus Apuliæ Dux, omnium ſuffragio renunciatur ; tùmque fundamenta poſuit ampliſſimæ dominationis, & ad regium utriuſque Siciliæ Diadema ſuis Nepotibus comparandum, viam ſtravit. Tandem anno 1046. moriens, Venuſiæ ſepelitur ad S. Trinitatis, ut conſtat ex Inſtrumento anni 1098. à Roberto de Principatu ejus filio cum Petro Abbate (*a*) dicti Monaſterij inito. Præter hunc autem Robertum de Principatu Patrem Vuillelmi Comitis S. Euphemiæ in Calabria, & præter Tancredum ; etiam Ferrobrachij filius fuit quidam Riccardus, ut legimus in quodam Diplomate (*b*) apud Rocchum Pyrrhum.

Drogo anno 1046. Apuliæ Dux factus cum militari prudentia, & chriſtiana pietate plurimum commendaretur, proditione interimitur anno 1051., relicto filio Riccardo Syniſchalco (*c*), & filiabus (*d*) Roccha, & (*e*) Amburga.

Umfredus in Fratris locum ſucceſſit, & paulòpoſt Leoni Papæ fidelitatis ſacramentum dicens, in Feudum ab eo conſecutus eſt Apuliam, Calabriam, Siciliam, & quicquid ipſe, ejuſque Fratres adepti, adepturique eſſent in poſterum. Sed anno 1056. fato ceſſit, deſignatis in Ducatu ſucceſſoribus filiis Abegelardo, & Hermanno, qui à Patruo Ro-

(*a*) Ughell. Tom. 7. in Venuſ.
(*b*) Sicil. sac. Tom. 2. fol. 156.
(*c*) Ughell. in Baren.
(*d*) Ammiratus in Capuanis, & Sannaz.
(*e*) Ughell. in Neocaſtrens.

Roberto Viſcardo expulſi, Conſtantinopoli obierunt extorres.

De Gaufrido, alijſque fratribus, qui in Gallijs remanſere, vel Apuliæ Duces non fuerunt, à nobis hic non eſt agendum; quia à noſtro Inſtituto ſunt alieni.

Roberti verò Viſcardi, & Rogerij Boſſi Genealogias, fuſiori calamo expendemus infrà; Nàm priùs de Tancredi Altavillani filiabus agendum eſt; ut indè præclariſſimæ gentis Machabææ erga noſtrum Monaſterium tam egregiè affectæ geneſim eruamus.

Plures apud Authores Tancredi Altavillæ Comitis filias reperire licuit, quæ Fratres in Italiam, patrio Solo relicto, ſecutæ ſunt, quarum.

Prima fuit Frideſinna Riccardo primo Averſæ Comiti, & Principi Capuæ nupta, quæ edidit Jordanum Capuæ, & Cajetæ Principem, anno 1090. mortuum, & Caſini ſepultum (*a*).

Altera fuit Anonyma quædam (*b*) Vualmanni Conjux.

Tertia Emma dicitur Odoni Boño Marchiſio (*c*) copulata, ex qua Tancredus ille prodijt in ſacra expeditione cruceſignatus, qui mira edidit militaris fortitudinis facinora; mirabiliora tamen de eo fabulatus eſt Torquatus Taſſus in ſuo Epico Poemate.

Duas alias Anonymas Tancredi filias aſſerunt Authores in Apulia nupſiſſe, alteram Goffrido Comiti Caveoſano, & alteram Tancredo Converſanenſi; quarum præter alios meminit (*d*) Peregrinius.

Verùm unam, eamdemque fuiſſe crediderim, quæ mortuo Gaufrido, cui peperit Robertum Caveoſanum, nupſerit Tancredo Goffridi Converſanenſis parenti, ut diſertè innuit Gulielmus (*e*) Appulus.

Doctior his aderat Robertus de Scabioſo,
Monte Comes dictus, Goffridi Frater, & Ambo.
Orti Germanâ fuerant Ducis = Viſcardi nempè,
con-

(*a*) Chron. Caſin. lib. 4. cap. 10.
(*b*) Rerum Ital. Tom. 5. fol. 281.
(*c*) In muſeo Mab. H. fol. 136., & 215. Belli ſacri.
(*d*) Prima part. Hiſtor. Gap. in Tab. Geneal.
(*e*) De Geſtis Nortmann. lib. 3.

contra quem arma induerant, ut ſuas, & Abegelardi eorum ſobrini injurias propulſarent.

Et ne quis ſuſpicetur Goffridum, cujus nunc meminit Appulus, alium eſſe à Converſanenſi, de eodem (*a*) alibi cecinerat.

Peluſij Montis Caſtrum pavefactus adire
Goffridus properat, ſed Dux quod non valet armis
Arte capit Caſtrum.

Quod ità contigiſſe narrat (*b*) Malaterra.

„ Inde Robertus Dux, Gaufridum de Converſana Nepotem ſuum (Filius quippè ſororis ſuæ erat) ut de Monte Piloſo ſibi ſervitium, ſicut de cæteris Caſtris, quæ plurima ſub ipſo habebat, exhiberet, adorſus eſt; quodque ab ipſo ſicut, & cætera minimè acceperat, ſed ſua ſtrenuitate, Duce ſibi auxilium non ferente, per ſe ab hoſte lucratus fuerat, renuente, Dux admoto exercitu, idem Caſtrum obſeſſum vadit, multiſque militariter ex utraque parte patratis, tandem, ut de eodem Caſtro, ſicuti de cæteris ſibi ſervitium promittens exhiberet, compulit; hæc Malaterra. Cum igitur certum ſit, Robertum Caveoſi, & Goffridum Converſani Comites eadem ex Matre natos eſſe; extrà dubium erit, eamdem, quæ Filia erat Tancredi, & Soror Viſcardi, nuptam priùs Caveoſano Comiti, nupſiſſe deindè Comiti Converſani.

Non ignoro Goffridum Caveoſanum, Maritum N. Altavillanæ, à Peregrinio creditum fuiſſe Fratrem Radulphi Machabæi, & Filium Umfredi; ac proindè multò juniorem Roberto Caveoſano Goffridi Converſanenſis Fratre, attamen ratio temporum, id nullatenùs patitur, quo enim pacto Gaufridus Umfredi Filius, & Frater Radulphi potuit circa annum 1090. Filiam Tancredi ducere devexæ jàm ætatis? Siquidem Rogerius Boſſus Filiorum Tancredi ultimus, dum anno 1101. diem clauſit extremum, erat ſeptuagenario major.

Errandi autem anſam indè Peregrinium ſumpſiſſe reor, quod Umfredus ad Gaufridi ſui Patris, vel ſi mavis Soceri Nomen renovandum, ut fieri aſſolet, Filium primum Avo

(*a*) Lib. 2.  (*b*) Lib. 2. cap. 39.

Digitized by Google

Avo cognominem fecit; Et quia Nepos ſua ad bellum ſacrum expeditione, hoc Gaufridi nomen reddidit illuſtrius; facile Peregrinio fuit, ſeniorem Gaufridum N. Altavillanæ maritum, cum Gaufrido juniore, quem innuptum obiiſſe ſuſpicor, confundere.

Et hic ſanè juvat obiter cum Caracciolo (*a*) monere; tria potiſſimum Lectoribus in Nortmannorum Hiſtoria negotium faceſſere: Primùm, quod plures ejuſdem Nominis fuerint Synchroni; quot enim ſimul vocati ſunt Rogerij, Tancredi, Vuillelmi? Secundum, quod idem non ſemel diverſimodè nuncupatur; ſic qui Radulphus dicitur, ſæpè Raul, Rao, & Rollo indigitatur; & Gaufridus ſcribitur, qui alibi Goffredus, Loffredus, & Roffridus vocatur: Tertio demùm ingerit confuſionem dignitatis, & Dominij multiplex deſignatio, modo enim quis Comes, modò Dux, Senior, vel Dominus hujus, vel alterius loci nominatur, quin etiam ipſa locorum Dominia identidem mutabantur, cum enim Primores Nortmanni Apuliam ſinguli ſuis occupaſſent auſpicijs, hinc factum eſt, ut qui alicujus Civitatis, vel oppidi Dominus erat, paulopoſt alterius Dominij nomenclaturam aſſumeret, & non ſemel ejuſdem loci plures ſimul ſe Dominos venditabant, ut eruditè monet (*b*.) Freccia.

Hæc autem omnia longiuſculè idcircò proſecutus ſum, ut tandem perſcrutari liceat, quinam fuerint Umfredi Caveoſani Comitis Parentes, cujus nomen ob innumera in noſtrum Monaſterium collata beneficia, celeberrimum ſemper in noſtris erit annalibus, ejuſque memoria illuſtris æternùm manebit.

Nec enim moror, Blaſium in ſua brevi Montis Caveoſi deſcriptione ſcriptum reliquiſſe, Umfredum noſtrum Filium fuiſſe Vuillemi Ferrobrachij, quem Tancredo Altavillano Moriella prima ejus Uxor pepererat, cum nullo nitatur Hiſtoricorum, quod ſciam, teſtimonio, nec ulla ex antiquis inſtrumentis deſumpta conjectura fulciatur.

Quidam ſuſpicantur, Umfredum Filium fuiſſe Gaufri-



(*a*) In antiquis Regni Chronologis.

(*b*) De ſubfeudis lib.1.cap.14.n.68.

di Comitis Caveoſani Fratremque Roberti itidem Caveoſani Comitis, ex N. Altavillani Tancredi Filia natum; in duobus enim Diplomatibus (*a*) anno 1068. in favorem Epiſcopi Tricaricenſis ab eodem Roberto expeditis, in quibus ſe Caveoſi Comitem, & Tricarici Gubernatorem dicit, Umfredus ità ſubſcribit: *Umfredus de Monte Scabioſo*; quare enim ajunt: *Umfredus* diceretur *de Monte Scabioſo*, ſi Frater, aut Filius non eſſet Roberti Comitis Caveoſani? Attamen hoc ipſum me movet, ut negem Umfredum Fratrem, aut Filium fuiſſe Roberti, id enim in Diplomatis decurſu aſſeruiſſet Robertus, more in Nortmannorum chartis conſtanter illis temporibus uſurpato.

Quod igitur Umfredus ſine aliquo adjecto ſe ſolum de Monteſcabioſo dixerit, indicat affinitatem aliquam Umfredo cum Roberto interceſſiſſe; & hanc indè ortam reor, quod Beatricem Uxorem duxerit Roberti ſororem, aut filiam; cujus affinitatis titulo Umfredus, Roberto poſt annum 1068. mortuo abſque liberis, Caveoſum adeptus eſt; cum Roberto vivente ſolum Civitatis veteris Caveoſo adjacentis (*b*) Comes fuiſſet, qua dotis nomine fortaſſe fuerat donatus à Leviro, aut à Socero.

Ex hoc etiam Conjugio cum Beatrice contracto originem ducit illa ſanguinis neceſſitudo, qua antiqui Converſani, & Caveoſani Comites jungebantur; cùm Beatrix Umfredi Uxor, Soror, vel filia Roberti Caveoſani, ſoror itidem, vel Nepos fuerit Gaufridi Comitis Converſani.

Nec mirum videri debet, quod tùm Umfredus ſe de Monte Scabioſo dixerit in Diplomatibus Roberti, cum Caveoſanus Comes adhuc non eſſet, nam etiam anno 1137. Robertus Medietatis Nohæ Dominus, ſe ſuumque Patrem Guidelmum, noſtri Umfredi filium vocitàt (*c*) *de Monte Scabioſo*, quamvis neuter umquam fuerit Comes Caveoſi. Quin etiam Robertus Viſcardus (*d*) ante annum 1051. etiam ſe Montis Scabioſi ſubſcripſit in Diplomate Drogonis, quamvis per id tempus crediderim Caveoſanum Comitem fuiſſe Gaufridum Seniorem, qui Comitatum illum à præfato Viſcardo fuerat Dotis titulo adeptus, ejus ſorore in

(*a*) Ughell. Tom. 7. in Tricaricen.
(*b*) Regeſtum 1065.
(*c*) Ughell. Tom. 7. in Baren.
(*d*) Idem in Venuſinis.

in uxorem ducta ; ità ut, cum Gaufridus erat Comes, Viſcardus Caveoſi titulum adhuc retinebat, quem tandem abjecit, dum Calabriæ Dux fuit renunciatus.

Umfredus igitur, quamvis illuſtri Nortmannorum ſanguine ortus, ut ipſemet de ſe (*a*) fatetur, ex Altavillano tamen ſtipite non prodijt, ſed eidem felici tantùm inſitus eſt conjugio cum prælaudata Beatrice contracto ; undè gens Machabæa manavit, præcipuus noſtræ genealogicæ arboris ſurculus ; cujus fructus antequam delibemus, Tancredi Altavillani Filios, ac Nepotes, qui noſtram Hiſtoriam propiùs attingunt, hoc in ſchemate digerere juvat.

Tancredus Altavillæ Comes

Vuillelmus, Viſcardus, Drogo, Rogerius, N. Converſani
Ferrobrachius — Boſſus & Caveoſi

Tancredus, Robertus, Riccardus
de Principatu

Riccardus, Rocca, Amburga
Siniſcalcus

Vuillelmus
S. Euphemiæ

Robertus, Goffridus, & forſan Beatrix
Caveoſi Converſani

(*a*) Regeſtum anno 1078.

# MACHABÆA GENS

## CAVEOSI DOMINA

BEatrix , Anonymæ Altavillanæ , & Tancredi Converſanenſis , vel Gaufridi Senioris , Caveoſi Comitis Filia, aut ſi mavis , ex præfato Roberto Caveoſano N. Altavillanæ Filio nata , Umfredum inter Nortmannos nobiliſſimum conjugem nacta eſt , quem plurimum liberorum Patrem fecit, nempè Gaufridi , Radulphi , Guidelmi , Roberti , & Adelaciæ . Umfredus autem primus , quem ex Archivij chartis eruimus , fuit noſtri Monaſterij ad ultimam egeſtatem redacti Inſtaurator , ſcriptis ( præter donationem S. Mariæ Gratiarum ) in ejus gratiam ſex ampliſſimis Diplomatibus, quorum Archetypa , egregiæ pietatis inſignia documenta, adhùc ſuperſunt .

Gaufridus , qui Patri in Caveoſano Comitatu poſt annum 1093. ſucceſſit , Bohamundum Viſcardi Filium cum alijs crucesignatis ſecutus , contra Sarracenos fortiter dimicans Kal. Julij anno 1097. occubuit , Martyris titulo à belli ſacri Scriptoribus decoratus . Umfredi Patris quinque poſteriora Diplomata ſuæ manus ſigno roboravit , ideoque inter eos collocandus , qui in Monaſterium liberales , ac munificos ſe præſtitere .

Guidelmus , tertius Umfredi filius , qui deindè Cerillani Dominus fuit , una ſimul cum Radulpho Fratre ampliſſimum ſcripſit prò Monaſterio Privilegium , & deindè bona aliqua Eccleſiæ S. Nicolai Hoſtiliani donavit , ejuſque filius fuit Robertus (a) qui erat Medietatis loci Nohæ Dominus .

Robertus quoque primùm Radulphi Privilegium ſuo calculo comprobavit .

Adelacia etiam Filia fuit Umfredi , ejuſque meminit Radulphus Frater in ſuo Diplomate anni 1099. menſe Septembris .

Radulphus Machabæus Umfredo Comiti ſecundo loco natus , Raho , & Rahul etiam dictus , Fratrem Gaufridum in

(a) Ughell. Tom. 7. in Baacn.

in Caveoſano Comitatu excepit ; omnium primus dictus eſt Civitatis Severianæ Dominus , primumque reperio , qui Machabæi agnomen aſſumpſerit , quod poſteà Filius (a) & Fratres retinuerunt . Tria , eaque ampliſſima ſcripſit prò Monaſterio Privilegia ; Eique Emma Uxor , Rogerij Boſſi Comitis Filia , de qua inferiùs agetur , Filium peperit Rogerium Machabæum , & duas filias Juditham , & Adelaciam .

Rogerius Machabæus , Radulphi Filius , paternæ pietatis hæres , unà cum Matre Emma plura Monaſterio largitus eſt ; & Juvenis abſque liberis ante annum 1124. fato ceſſit .


Juditha Rogerij Machabæi ſoror , Rogerio de Montibus Pomarici Domino in matrimonium copulata , utiliſſimum in favorem Monaſterij , ſimul cum marito , Diploma conſcripſit .

Adelacia Judithæ ſoror , eàque minor natu , aliqua Matris , Fratriſque Monaſterio collata Privilegia , ſua etiam manu ſignavit ; deindè à Rogerio Avunculo Siciliæ Rege in Siciliam circa annum 1123. devecta , nuptui tradita eſt Raynaldo de Aquila , cui Adamum Avellini Comitem genuit , Simonem Comitem Buteræ , & Mathildem . Fallitur autem Rocchus Pyrrhus in ſua Chronologia , aſſerens Rogerium Avellinum ( non Avinellum ) , qui Regis Rogerij Coronationi interfuit anno 1129. , filium fuiſſe Adami ex N. Regis Rogerij filiâ ſuſceptum , nam Adelacia Adami Mater paulò antè annum 1130. nupſerat ; undè Rogerij Avellini Avia eſſe non potuit . Gentis autem Machabææ Diatypoſin ſubijcimus .

Um-

(a) Idem in Acheruns.

Digitized by Google


Umfredus ; & Beatrix
Adelaſia ; Goffridus , Radulphus , Robertus , Guidelmus
Robertus D. Noh
Adelaſia , Rogerius Machabæus , Juditha
Simeon , Adam , Mathildis

RO:

## ROBERTI VISCARDI PROGENIES.

ROberti Tancredi Altavillani ex Friſenna ſecunda Uxore Filius, ob vaſritiem Guiſcard à Sarracenis per contumeliam vocatus, quod ipſe tamen in ſui laudem vertit, quindecim militibus in ſuæ fortunæ ſocios delectis, ad Fratres in Apuliam venit, primuſque, quod ſciam, Montis Caveoſi (*a*) Comes fuit; deinde mortuo Umfredo Apuliæ Duce, ejuſque filijs Abagelardo, & Hermanno ejectis, quos Pater contra fœdus cum ſuis Fratribus initum, ut ſibi invicem in Ducatu Apuliæ ſufficerentur, ſtatuerat hæredes, Regio in Calabria potitus, & Troja, nonnulliſque alijs locis in Apulia, poſt plures concertationes in Melphij Conventu anno 1059. habito, à Nicolao Secundo Papa per vexillum, Apuliæ, & Calabriæ Dux renunciatur; cum ſe ligium Romanæ Eccleſiæ ea conditione feciſſet, ut annui tributi nomine, duodenos prò ſingulis Boum jugis denarios Papienſes penderet. Hinc brevi, in Apulia, & Calabria pluribus Dynaſtis ſubactis, in Sicilia triumphatis Sarracenis, ab urbe fugato Occidentis Imperatore, Romanoque Pontifice in libertatem aſſerto, cum Venetorum Claſſem ad internecionem uſque profligaſſet, & orientalis Imperij vertici proximè immineret, gloria onuſtus, anno 1085. ſextodecimo Kal. Auguſti in Inſula Corcyrenſi, incertùm, an veneno abſumptus, ex profluvio Corporis annum natus 64. interijt: Princeps, in quo pietas, & bellica virtus ex æquo enituit; adeòut (*b*) aliqui ipſum poſt mortem miraculis inclaruiſſe affirmarint.

Ex prima uxore *Albereda* Marcum Bohamundum habuit; qua ob conſanguinitatis gradum Canonicis Sanctionibus vetitum repudiata, Sychelgayttam Guaimarij Principis Salernitani Filiam deſpondit, quæ ei Rogerium Burſam enixa eſt. Demùm Adalam Roberti Flandriæ Filiam duxit, ex qua alios plures Filios habuit, de quibus non eſt, quod loquamur; ſicuti etiam & de quinque ejus Fi-

lia-

(*a*) Ughell. in Venuſin is fol. 219.
(*b*) Ptolemæus Lucenſis in Chron.

Digitized by Google

liabus, quæ nihil nos tangunt, ſi Almeidam excipias, quæ ad noſtram Genealogiam contexendam maximè confert. Sed prius de Bohamundo, ejuſque Filio eſt diſſerendum.

Bohamundus, qui & Marcus dicitur, Roberti Viſcardi ex Albereda Filius, Patre mortuo, cum ipſe in Græcia moraretur, à Rogerio Burſa Fratre, Apulia, & Calabria exuitur. Sed pace cum Fratre compoſita, Tarentum (a) recepit, Oriam, Hydruntum, & Gallipolim, & cætera, quæ Gaufridus de Converſano ſub ejus poteſtate poſſidebat. Verùm ægrè ferens tàm grande ditionis paternæ decrementum, & indignatus Subditorum ſanguinem in civilibus bellis profundi, Crucеſignatorum in Apulia, & Calabria Dux factus, in Græciam transfretavit; cum autem ejus potiſsimùm prudentia, ac virtute Antiochia Syriæ caput anno 1088. ſubacta fuiſſet, primus omnium Latinorum Antiochenus Princeps, Militari plauſu, (Raymundo Toloſæ, S. Ægidij Comite nequicquam reluctante) conclamatur. Cum autem quotidiè Sarracenos, & Turcas prælio laceſſeret, ad Meletoniam Urbem per inſidias capitur anno 1100., & nonniſi centum millibus Michelettorum perſolutis, à triennali carcere liberatur. Quare Tancredo Sobrino, Marchiſij Filio, Antiochiæ relicto, Barium venit; indeque in Gallias profectus, votum, quod captivus S. Leonardo voverat, ritè perſolvit, ad ejus Aram Bolas argenteas appendens. Deindè cum anno 1106. Carnuti Conſtantiam deſpondiſſet, Philippo Francorum Regi natam ex Berta Filia Comitis Friſiæ; & Hollandiæ, eam Barium deduxit; paulòque poſt trajiciens, Dirrachium obſidet. Sed pace Imperatori Alexio deprecanti conceſſa, Barium iterùm venit; duobuſque liberis, quorum primus haud diù vixit, à Conſtantia habitis, menſe Martij anni 1111. moritur, & Canuſij ad S. Sabinum deponitur, ſummo chriſtianæ Reipublicæ luctu; cum fortiſsimus fidei Athleta occubuiſſet, eodem (b) nempè anno, quo Rogerius Burſa Frater objerat menſe Februarij.

Bohamundus ſecundus, Bohamundi Filius, cum Mona-

(a) Malaterra lib.4.cap.14.

(b) Peregrinius ad Falconem anno 1116. & Anonymus Baren.

naſterium anno 1124. ſimul cum Matre Conſtantia favorabili Diplomate donaſſet; Tarento poſt duos annos ad Antiochenum Principatum capeſſendum transfretavit; & anno 1131. Princeps meliori fortuna dignus, à Turcis obtruncatus eſt, unica Filia Conſtantiæ Matri cognomine relicta, quam ei Aliſa, ſeù (a) Adelaides Balduini ſecundi Hierosolymitani Regis Filia peperit; & ex hac Conſtantia Bohamundi, & Aliſæ Filia in matrimonium collocata Raymundo Pictavorum Comiti, & Aquitaniæ Duci cum Auctario Antiocheni Principatus, Bohamundus Tertius prodijt, cujus Nepotes uſque ad Bohamundum ſeptimum circa annum 1268. imperarunt Antiochiæ; quando hæc Civitas jugum Sarracenorum iterùm ſubire coacta fuit, ob inſignem Principum Chriſtianorum ſocordiam; tumque hæc ſeries ex Viſcardo deducta interciſa eſt.



(a) Tyrius lib.13.cap.21., & 27.

Robertus Viſcardus

Almeida , Bohamundus Primus Rogerius Burſa
ex Conſtantia

Bohamundus Secundus Vuillelmus Apuliæ D.

Conſtantia

Bohamundus Tertius
& alij uſque ad Bohamundum ſeptimum



Digitized by Google

ALmejda Viſcardo ex Sychelgaitta nata, Raymundo tertio Caput -- ſtuppæ cognominato Comiti octavo Barcinonenſi anno 1077. nupta (*a*), nedùm in præcipuos Hiſpaniæ Principes, ſed etiam in totius ferè Europæ Monarchas generoſum Viſcardi ſanguinem transfudit. Cum autem inſigni pietate fulgeret, duo extruxit Ordinis Benedictini Cænobia, alterum S. Mariæ de Valle, in oppido Caprariæ, S. Danielis alterum propè Gerundam, ubi, Viro fato functo anno 1088., vitam ſanctiſſimè duxit.

Raymundus Berengarius Quartus, dictus etiam Arnulphus, Comes Barcinonenſis nonus, Almeidæ, & Raymundi Caput -- ſtuppæ Filius, Dulciam Gilberti Provinciæ Comitis Filiam, & Hæredem, ſororem verò Stephaniæ, quæ Raymundo Baucio fuit deſponſata, Uxorem ſuſcepit; & circa annum 1130. plurium liberorum Pater deceſſit. Hic tamen duorum tantùm Geneſim proſequemur, Raymundi nempè Quinti, & Berenguellæ; miſſis utpotè ad nos minimè pertinentibus, Raymundo altero Provinciæ Comite, & aliis Filiabus.

Raymundus Berengarius Quintus, Comes decimus Barcinonenſis, nuptias cum Petronilla Ramiri Monachi Aragonum Regis Filia jamdiù pactas celebravit; Regnumque Aragoniæ dotis nomine Catalauniæ Comitatui adjecit, primumque Filium, Raymundum vocari juſſit, qui tamen eo mortuo anno 1162., Alphonſus à Matre Petronilla eſt nuncupatus.

## COMITES PROVINCIÆ

ALphonſus igitur ſecundus, cognomento Caſtus, paterno jure Comes Barcinonenſis undecimus, Materno Aragonum Rex, Comes (*b*) etiam fuit Provinciæ. Ex Sancia autem Alphonſi ſeptimi Caſtellæ Regis Filia plures

 Fi-

(*a*) Mariana lib. 9. cap. 1., & ſeq. Marinæus lib. 9. Index Rerum Aragon. &c.

(*b*) Marinæus lib. 10., Blanda in Comment.

Filios recepit ; quos inter, fuere Petrus Aragoniæ Rex, quo inferius agemus, & Alphonſus Provinciæ Comes.

Alphonſus, Patre defuncto anno 1196., Provinciæ (a) Comes renunciatus; ob Uxoris Garſendæ connubium, etiam Folcalquerij Comitatum adeptus eſt.

Raymundus Berengarius V. Patrem in Provinciæ, & Folcalquerij Comitatu excipiens anno (b) 1209., eximiam in profligandis Albigenſibus operam navavit; & anno 1245., vel paulòpoſt è vivis abſceſſit; ex Beatrice Sabauda quatuor Filiabus habitis, quæ præcipuis Europæ Principibus in Matrimonium ſunt collocatæ.

Beatrix ex quatuor ſororibus natu minima, Carolum Ludovici octavi Gallorum Regis Filium anno 1245. deſpondit (c) ei Dotis nomine tributo Comitatu Provinciæ, & Folcalquerij. Verùm ægrè ferens, ſolam ex cæteris Sororibus regio Diademate non inſigniri, Maritum ſollicitavit, ut Regnum utriuſque Siciliæ à Romano Pontifice oblatum acciperet. Voti autem compos facta, Romæ regalibus inſignibus una cum Marito decorata, poſt biennium Nuceriæ exceſſit, pluribus liberis relictis. Sed ut Mariti Caroli Avos proſeramus ex eodem Viſcardi ſanguine etiam procreatos, gradum retrahamus oportet ad Berenguellam.

## REGES CASTELLÆ

Berenguella, ſeù Berengeria, Raymundi Quarti Berengarij Barcinonenſis Comitis Filia, ante annum 1131. Alphonſo octavo Caſtellæ Regi, & Imperatori nupta, Maritum impulit, ut à prætenſo jure in Regnum Aragoniæ, favore Raymundi ejus Fratris ſe abdicaret; tandem anno 1149. fato (d) ceſſit, Filio Sanctio relicto, uti hiſpanica Hiſtoria fatetur. Perperam enim Franciſcus Tarapha, Sanctium natum ex Urraca ſcripſit, cum apertiſſimè conſtet ex Indice rerum Aragoniæ, & ex Hieronymo Blanca, Urracam ſecun-

(a) Marinæus ibidem
(b) Imboſius in Aragonijs
(c) Imboſius in Aragon.
(d) Sanct. p. 3. Cap. 31., Mariana lib. 10. Cap. 14., & ſæpe alibi in Hiſtor. Hiſpan.

cunctis votis Alphonſo copulatam fuiſſe, ac proindè nequivit, ut temporum ratio conſtet, Sanctium generare.

Sanctius Tertius, cognomento Deſideratus, Caſtellæ Rex, ortus anno 1135., Patrem Alphonſum (a) Octavum aſſequitur anno 1159., & anno ſequenti moritur, relicto ex Blanca Garziæ Regis Navarræ Filia Alphonſo Nono quadrimo. Ex quo Luce meridiana clariùs evincitur, Sanctium Berenguellæ Filium fuiſſe, quæ obijt anno 1149. non autem Urracæ, quæ non antę annum 1150. ab Alphonſo ducta eſt in Uxorem.

Alphonſus nonus, alijs VIII., adulta ætate, Legionis, & Navarræ Reges à Regni finibus arcet, quos contempta Regis pueritia transgreſsi fuerant. Mauros non ſemel fudit; ſed præcipue cum anno 1212. uno prælio exercitum 150.m. Peditum, & Equitum 35.m. trucidavit; tandem biennio poſt deceſsit, pluribus Filijs ex Eleonora Henrici Anglorum Regis Filia relictis.

Blanca Alphonſi Noni Filia, anno 1200. Ludovico Octavo Galliarum Regi deſponſata, numeroſam ſobolem enixa eſt ea felicitate, ut eorum duo Cælitum Albo ab Eccleſia fuerint adſcripti, Ludovicus nempè nonus, & Beata Eliſabetha. Mortuo Marito, Regni Adminiſtra, & Ludovici Filij Minorennis Curatrix ſcripta, ea ſanctitate, ac prudentia ſuo munere functa eſt, ut Filius ad ſacram expeditionem profecturus, ei Regni habenas commiſerit. Demùm anno 1252. ad Cœlos (ut credere par eſt) evolavit; cum paucos ante dies D. Patri Benedicto ſub habitu Ciſtercienſi nomen dediſſet in Monaſterio Mobeſſonenſi, à ſe regalibus ſumptibus extructo. Inter cæteros autem ejus Filios, Carolus fuit Andegavenſis, qui regalia utriusque Siciliæ inſignia Gallicis Lilijs intexuit, noſtrumque Monaſterium pluribus honeſtavit beneficijs. Sed priùſquam ejus Nepotes promamus; oculis ſubijciamus oportet, qui ex Almeida in Hiſpania, & Gallia prognati ſunt.

Al-

(a) Imhofius in Geneal.

Almeida cum Raymundo Tertio Barcinonenſi

Raymundus Quartus

Raymundus Secundus Berenguella Caſtellæ Regina

Alphonſus Secundus

Alphonſus Com. Provinciæ

Petrus Secundus R. Aragoniæ, de quo fol. 283.

Sanctius R. Caſtellæ

Raymundus Secundus

Alphonſus Nonus

Blanca

Beatrix, de qua fol. 268. Carolus, de quo fol. 272.

R E-

## REGIA ANDEGAVENSIS

## FAMILIA REGNI NEAPOLIS.

CArolus Andegavenſis Comes, Ludovici IIX. Gallorum Regis ex Blanca Filius, ab Oriente, quo Fratrem Ludovicum IX. ſecutus fuerat, regreſſus, ab Urbano IV., & à Clemente itidem Quarto in Manfredum Regem incitatus; cum valido Gallorum exercitu in Italiam deſcendit, Manfredumque in Campis Beneventanis anno 1266. profligavit; eademque felicitate uſus, anno 1268. Conradino Friderici Secundi Imperatoris Nepote in Marſis Acie fugato, & capite deinde Neapoli truncato, utriuſque Siciliæ Regno potitur. Sed haud diù tanta ſtetit felicitas; nàm anno 1282. Siciliæ Regno inſigni Gallorum Clade privatus, & paulòpoſt Caroli Filij ab hoſte capti dolore confectus, anno 1284. occubuit.

Carolus Secundus, ob corporis Vitium claudus dictus, utrumque Parentem Carolum nempè primum, & Beatricem Provinciæ Hæredem ex Viſcardi generoſo Sanguine procreatum agnoſcens; dum adhuc eſſet Princeps Salerni, & Dominus Montis S. Angeli, ab hoſtibus captus, poſt Patris mortem anno 1288. libertate donatus, Regnum capeſſit; cui Hungaricum adjunxit jure Uxoris Mariæ, Stephani V. Pannoniæ Regis Filiæ, à qua decem Filiorum, & quinque Filiarum prole ditatus eſt; quos inter fuere Ludovicus Tholoſanus Antiſtes Sanctorum Catalogo adnumeratus, Carolus Pannoniæ, & Robertus Neapolis Reges, Petrus Comes Gravinæ, & Caveoſi, Tempeſtas vocatus; Necnon Philippus, & Beatrix noſtram Genealogicam Seriem proximè attingentes. Carolus tandem poſt plura Monaſteria, & Eccleſias, vel excitatas, vel redditibus, adauctas, Caſænovæ propè Neapolim occubuit anno 1309., ætatis ſuæ ſexageſimo tertio.

Robertus Carolum Patrem ſavorabili Clementis V. judicio excepit in Regno, quod ſumma pietate, ac prudentia tres ſupra triginta annos gubernans, anno 1343. reliquit, ſcripta Regni Hærede ſua Nepte Joanna; cum Ca-


Carolus Filius uſque ab anno 1320. præcocitate defuiſſet. Robertus autem cum adhuc Princeps eſſet Calabriæ, noſtri Monaſterij jura ſarta tecta ſervavit.

Philippus Filius Quartus Caroli Secundi, & Roberti Frater, Princeps Tarentinus, Thomaram Nicephori Romaniæ Deſpoti Hæredem duxit, ex qua orti ſunt Petrus, & Carolus, qui improles objerunt; deindè Catharina Valeſia aſſumpta in Uxorem, Dotis loco jus ad Conſtantinopolitanum Imperium adeptus eſt: Philippus ſiquidem Curtenæus Teſſaliæ Rex, Filius Balduini Secundi à Græcis Imperio pulſi, ex Beatrice Caroli Primi Regis Neapolis Filia, Pater fuit Catharinæ, quæ anno 1299. Carolo Valeſio Philippi Audacis Gallorum Regis minori natu nupta, Catharinam edidit cognominem; noſtri Philippi Uxorem, & plurium Filiorum Parentem, inter quos fuere Robertus, & Margaritha Franciſco Baucio nupta. Philippus autem, cujus æquitatem non fruſtrà noſtri Monaſterij Procuratores implorarunt, Neapoli è vivis abijt anno 1332.

Robertus Princeps Tarenti, Dux Leucadiæ &c. Imperium Conſtantinopolitanum, cujus titulo jure materno fruebatur, ſibi armis vindicare fruſtrà conatus, Neapoli anno 1364. fato ceſſit, nullo relicto Filio ex Maria Ludovici Primi Borbonij Ducis Filia; ſcripſit Diploma erga noſtrum Monaſterium favorabile; Andegavenſium autem, de quibus hùc uſque ſumus locuti, & loquemur, hæc eſt Synopſis.

Ca-

Digitized by Google


Carolus Primus
Carolus Secundus
Petrus C. Monti Caveoſi
Philippus, Princeps Tarenti
Beatrix,
Ludovicus, Dyrrachij
Carolus, Martellus Rex
Robertus, Neapolis Rex
Petrus,
Carolus,
Robertus,
Margaritha,
Carolus Dyrrachinus
Carolus Princeps
Carolus Rex
Margaritha
Joanna Regina
Ladislaus Rex Neap.
Joanna Secunda Regina

# INCLYTA BAUCIORUM PROGENIES IN ITALIA.

BEatrix Caroli Secundi Filia, & Roberti Regis Soror, Azonis Ferrarienſis Marchionis Vidua, in matrimonium tradita eſt Beltramno Baucio, alterius Beltramni Filio qui Carolum Primum Andegavenſem in Italiam ſecutus, Filius erat ſecundo loco natus Vuillelmi ſecundi Principis Arauſicani, & Nepos Vuillelmi V. Regis Arelatenſis. Noſter autem Beltramnus ex tam præclaro ſanguine ortus, Comes Novellus nuncupabatur; utpotè qui recens anno 1308. Comes Caveoſanus creatus fuerat ex abdicatione Petri ejuſdem Caroli Secundi Filij: Dotis autem nomine aſſecutus eſt Comitatum Andrienſem, Aquavivam, & Montem Sericum; à Roberto deindè Cognato, Comitatu Squillacij donatus, primiſque Regni honoribus decoratus, Neapoli occubuit, de noſtro Monaſterio egregiè meritus; cum ex Beatrice nati ei eſſent Maria, Delphino vienneníi poſt à nupta, & Franciſcus, ut docet (a) Ammiratus, Joannes Baptiſta Carafa (b) Morerius (c), & alij, quibus adſtipulari videtur Elogium Sepulchrale Andriæ ei excitatum, in quo hæc præcipuè leguntur.

Bertramni thalamos non dedignata Beatrix,
A quo deducta eſt Baucia magna Domus.

Non negaverim ab aliquibus affirmari Franciſcum natum ex Margaritha de Alneto, quam Bertramnus Beatrici defunctæ anno 1321., vel circiter, ſuperinduxit; Verùm prior ſententia ſolidiori innititur ratiocinio; Cæterùm etſi demus Franciſcum non eſſe natum ex Beatrice, attamen cum ipſe deindè Margaritham duxerit Caroli ſecundi Neptem, non abſonum omninò videretur, ob tàm arctam neceſſitudinem, alios Baucios ex Caroli ſtirpe deducere. Ex Margaritha autem de Alneto ſecunda Uxore nati ſunt Bertramno Vuillelmus Dominus Berræ, & Comes Nohæ, quem Ludovicus Rex Equitem Nodi creavit anno 1352., Sancia nupta Joanni de Engenio Comiti Licienſi, Patri Reginæ Ma-

(a) Par.2.fol.242.
(b) Hiſtor.Neap.lib.5.
(c) In familia Baucia.

Mariæ ; Iſabella, quam Ammiratus etiam ex Beatrice natam dicit Antonio tradita Sanſeveritinati, Comitis Marſicenſis Filio, & Catharina ab Honorato Cajetano Comite Fundano ducta.

Franciſcus Bertramni ex Beatrice Filius, Margaritham Philippi Principis Tarentini Avunculi Filiam duxit ; & ob id à Ludovico Rege Neapolitano cognato, Dux Andriæ renunciatur ; quod argumento eſt Franciſcum ex Beatrice, non autem ex Margaritha de Alneto progenitum; cum tunc temporis nullus Ducis titulo honeſtaretur, qui regio ſanguine ortus non eſſet ; ex Margaritha autem Pater factus Jacobi, & Antoniæ Siciliæ Reginæ, aliam deinde Uxorem duxit Svevam Urſinam, Nicolai Comitis Nolani Filiam, & Raymundi Principis Tarentini Sororem, quæ ei Gulielmum peperit, & Blanchinum. Franciſcus autem annum 1414. non exceſſit.

Gulielmus Dux Andriæ, Caveoſique Comes, noſtrum Monaſterium Avi Bertramni exemplum ſecutus, Diplomate dignavit. Ex duabus Uxoribus, altera Antonia Monfortia Federici Comitis Vigiliarum Filia, quæ obijt anno 1418., & altera ex Familia Urſinia Franciſcum ſecundum excepit, Petrum, qui etiam ipſe Comes dictus eſt Caveoſi, & uti aliqui dicunt, Balthaſarem Abbatem ; crediderim tamen ſaltem Franciſcum ex Monfortia natum, cum Comes ipſe fuerit Vigiliarum.

Franciſcus ſecundus, prudentia, morumque probitate conſpicuus, anno 1443., ut Dux Andriæ publicis Regni Comitijs interfuit ; fidem Regi ſuo integram ſemper ſervavit, non levi totius familiæ, ſuique diſcrimine, cui tamen Regia munificentia non defuit ; præter enim alia decora, Regij Conſilij Præſes, & magnus Regni Comeſtabularius fuit renunciatus ; obijt tandem, ſuæ in Nos liberalitatis teſtimonio relicto, ſexto idus Auguſti anno 1483., magna cum Sanctitatis opinione Andriæ ; Paterque fuit Pyrrhi, Jacobi, Angilberti, & Catharinæ ex Sancia Claramontia Filia Catharinæ Urſinæ, & Sorore Principis Tarentini, & Iſabellæ Conjugis Ferdinandi primi Regis Neapolis.

Balthaſar Baucius, Franciſci ſecundi Frater, & Guliel-

lielmi Filius ab aliquibus aſſeritur ; Sed quia Franciſcus eum non Fratrem , ſed affinem ſuum vocat in Privilegio eidem anno 1445. indulto , crediderim Balthaſarem Nepotem fuiſſe Ugonis Baucij Fratris Bertramni , de quo in noſtra Chronologia egimus ſub anno 1313. ; ac proindè eos fuiſſe Patrueles ; utcumque tamen id ſit , certè Balthaſar præcipuus fuit eo titulo Monaſterij reſtitutor , quod cum Abbas eſſet commendatarius , Abbatia, ſe abdicaverit, Pyrrhi Nepotis precibus ſollicitatus , in favorem Congregationis S. Juſtinæ.

Pyrrhus materno jure Comes Cupertini , adhuc Patre ſuperſtite Comes Caveoſi , & magnus Regni Comeſtabularius fuit ; poſt Franciſci autem Patris funera , 1483. Dux Andriæ, ac Vigiliarum Comes factus eſt ; anno verò præcedenti à Ferdinando Rege , à quo jam pridem Genuſio donatus fuerat , Altamuræ Principatum mercatus erat. Ex Maria Donata Urſina , à qua locupletatus eſt Venuſino Ducatu , & Comitatu Acernano , Filios recepit Federicum , Iſottam Gineuram , Antoniam , & Iſabellam. Tandem impetrato anno 1484. à Summo Pontifice Sixto IV. Diplomate , quo Monaſterium ex Sæcularium Abbatum poteſtate liberatum , Congregationi S. Juſtinæ traditum fuit, pluribuſque muneribus conceſſis , quæ ejus inſignem in Nos charitatem commendant , indignam tanto viro mortem pauloposſt oppetijt , in totius tàm prænobilis familiæ excidium.

Angilbertus Franciſci ſecundi Filius , & Pyrrhi Frater , Comes Uxenti , & Dux Neritonenſis , Mariam Conqueſtam duxit Joannis Antonij Principis Tarentini Filiam, à qua quinque Filios , & ſex Filias habuit ; & hinc totius Bauciæ Familiæ excidium ortum eſt. Mortuo enim Joanne Antonio Socero , Angilbertus Uxoris hæreditario Principatu privatus , Pyrrhum Fratrem in Regem armavit, à quo ambo decepti , in arce Caſtri novi , ſpe pacis illuſi, necantur anno 1486. , vel inſequenti.

Federicus à Pyrrho Patre Comes Acernanus factus, Conſtantiam de Avalos duxit , Filiam Innaci de Avalos, & Antonellæ de Aquino , Hæredis , & Filiæ Bernardi Gaſpa-

Gaſparis de Aquino Marchionis Piſcariæ; Sed valetudine haud proſpera uſus, improlis exceſſit, Patre adhuc ſuperſtite; Uxorem relinquens de Monaſterio noſtro præclarè meritam.

Iſotta Gineura Federici Soror, Pyrrhi Filia natu maxima, Petro de Guevera nupſit Marchioni Vaſti; cum autem mortuo Federico Fratre, & Patre, titulis paternis à Rege fuiſſet privata, maritum impulit ad jus armis vindicandum; quo factum eſt, ut Petrus perduellionis damnatus, etiam Marchionatu Vaſti, Innico de Avalos collato, & Comitatu Arianenſi mulctatus fuerit. Iſotta autem excidio totius Familiæ Bauciæ ſuperſtes, ærumnis, ac ætate confecta, anno 1530. Neapoli obijt, digna, quam Domi propriæ morantem Carolus V. inviſerit.

Antonia Uxor Joannis Franciſci Conzaghæ, Ducis Sabionetæ plures ei Filios, ac Filias peperit.

Iſabella Federico Ferdinandi Regis Filio nupſit, Regi deindè Neapolitano. Sublato autem Pyrrho Patre, Soceri judicio contra Iſottam-Gineuram Sororem natu majorem, omnes paternos titulos aſſecuta eſt. Virum Regno pulſum ſecuta eſt in Gallias; & ibi ad ejus uſque obitum permanſit. Deindè Sabionetæ apud Antoniam Sororem hoſpitata, tandem Ferrariam divertens ad Alphonſum Federici Mariti Nepotem, Regiæ Majeſtatis ſolum nomen referens, è vivis ibidem abijt, cum peperiſſet Ferdinandum Calabriæ Ducem, alioſque Filios infelicis ſortis Hæredes.

Bauciorum autem hoc eſt Syntagma.

Bea-

Beatrix cum Bertramno Baucio

Iſabella, Vuillelmus, Franciſcus I., Maria, Sancia, Catharina

Antonia Regina, Gulielmus Jacobus

Balthaſar Abbas Franciſcus II. Petrus C. Caveoſi

Catharina, Jacobus, Pyrrhus, Angilbertus

Antonia, Iſotta, Federicus Iſabella Regina
Maritus
Conſtantiæ Avalos
de Aquino

ARA.

Digitized by Google

## ARAGONUM REGUM PROSAPIA.

DE Catalauniæ, & Provinciæ Comitibus ſuperiùs agentes, duos Aragonum Reges recenſuimus; modo eorum Nepotes promamus oportet, ut Viſcardi Sanguinem, Rogerij Boſſi Sanguini feliciter immixtum, tandem oſtendamus,

Petrus igitur ſecundus, cognomento Catholicus, Alphonſi ſecundi Regis Aragonienſium, & Provinciæ Comitis Filius, Nepos verò Raymundi Berengarij Barcinonenſis, & Petronillæ Reginæ; mortua prima uxore, Mariam Montis Peſulani Comitatus Hæredem duxit, quæ ei Jacobum peperit. Romæ ab Innocentio Tertio Corona panis azimi ad S. Pancratium coronatus, ſe, Aragoniæque Regnum Eccleſiæ ſubdidit; tandem anno 1213. fato functus eſt, & paulòpoſt etiam Maria Uxor Romæ deceſſit, ibidemque ad D. Petri fuit tumulata.

Jacobus primus, expugnator dictus, ob Balearicas Inſulas, Regnaque Murciæ, & Valentiæ Armis ſubacta; in quibus Deiparæ Virgini bis mille Delubra dicaſſe fertur; & ſub cujus invocatione etiam Religionem Redemptionis Captivorum inſtitutam voluit; Jolantem anno 1235. Uxorem nactus eſt; & pluribus ex ea Filijs relictis, quos inter Petrus Regni Hæres, devexa ætate Valentiæ anno 1276. vivere deſijt.

Petrus Tertius, cognomento Magnus, Conſtantiam Manfredi (*a*) Regis Siciliæ Filiam, & Rogerij Regis Abneptem uxorem habuit; ſimulque Aragoniæ Reges coronati ſunt anno 1276. Verùm à Siculis, qui Gallos omnes una die, unaque hora ad veſpertinæ Campanæ ſonitum trucidaverant, invitati, ejus Inſulæ Reges inaugurantur anno 1282., poſt triennium verò Petrus obijt, pluribus Filijs relictis; inter quos fuit Jacobus ſecundus ex paterno Viſcardi, & ex materno Rogerij Boſſi ſanguine procreatus, qui noſtram Genealogicam ſeriem ad Auſtrios uſque Principes fortunatò protraxit; quod ut oculis legentium pateat: ad

(*a*) Marinæus lib. 11. de Rebus Hiſp.

Digitized by Google

ad Rogerium Boſſum regrediamur oportet; unde Conſtantia Petri Uxor rectà manavit.

Aragonum autem Regum Catalogus hic eſt

Raymundus Berengarius V.

Alphonſus Secundus
Rex Aragonum, & Comes Provinciæ

Alphonſus Comes Provinciæ.

Petrus Secundus Rex Aragoniæ.

Jacobus Primus Expugnator.

Petrus Tertius Maritus Conſtantiæ,



Digitized by Google

## ROGERIJ BOSSI SICILIÆ COMITIS NEPOTES.

ROgerius, Boſſus ob corporis proceritatem nuncupatus, omnium Tancredi Altavillani Filiorum natu minimus; virtute autem militari Fratrum nemini ſecundus, immò omnium, ſi Viſcardum exceperis, primus, cum Siciliam ferè totam à Sarracenorum tyrannide vindicaſſet, à Viſcardo Fratre Siciliæ Comes renunciatus fuit; plures autem Uxores habuit, quarum prima fuit Juditha, Willelmi Ebroicenſis Filia, quæ Emmam Montis Caveoſi Comitiſſam edidit, de qua fuſiùs paulòpoſt agemus; Mathildim deſponſatam Raymundo S. Ægidij, & Toloſæ Comiti, quem Malaterra (*a*) perperam Provinciæ Comitem vocat, ut admonemur in Hiſpania illuſtrata (*b*), & Eminem ſpecioſiſſimam Puellam, quam Philippo Francorum Regi deſtinatam, Comes Claramontis deſpondit, ut fuſè narrat Malaterra, (*c*) niſi hæc eadem fuerit, quæ ſecundis votis Radulphum Machabæum, mortuo Comite Claramontis duxerit. Alia Uxor fuit Eremburga, Filia Gulielmi Comitis Mortonenſis, (*d*) ex qua natus eſt Gaufridus de Raguſia dictus, qui ex Regalia Uxore, præter alios, habuit Sylveſtrum, cujus Filius fuit Gaufridus Avo æquivocus Comes Converſani, & Montis Caveoſi. Eremburgæ etiam ſecundæ Rogerij Uxoris Filiæ fuere, altera Mathildis Raynulpho Langobardo, Avellini Comiti (non Radulpho Machabæo Caveoſano (*e*) Comiti, ut Rocchus autumat) nupta, Flandina, Juditha, Buſilla, & Violanta. Tertia tandem Rogerij Uxor, Adelaſia, Marchionis (*f*) Bonifacij Neptis, præter alios, Rogerium Regem edidit.

Rogerij autem Boſſi Filius quoque fuit Riccardus Syniſchalcus, qui in quadam donatione Carbonenſi (*g*) Monaſterio facta Maxafræ anno 1100., ſe Magni Rogerij Filium dicit, ibique Albendam ſuam Uxorem nominat, &

Dd for-

(*a*) Lib. 3. Cap. 22., & lib. 4. Cap. 8.
(*b*) Tom. 2. fol 25. n. 10.
(*c*) Lib. 4 Cap. 8.
(*d*) Malaterra lib. 4. cap. 14.
(*e*) Tom. 2. Sicil. Sac. in Chronol. fol. 10.
(*f*) Malaterra lib. 4. C. 14.
(*g*) Santorius, & Ughell. in An. gloſſ.

forſan hic Riccardus, idem ille fuit, qui Dedicationi noſtri Monaſterij anno 1099. interfuit: Mortuus eſt autem Boſſus, ob præclara bello, ac pace geſta facinora, Magnus Comes appellatus, decimo Kal. Julij anno 1101. apud Miletum Calabriæ Oppidum ætatis ſuæ annorum ſeptuaginta.

Emma præclaræ memoriæ Heroina, Rogerij Boſſi Filia fuit, ut ipſamet in Privilegijs Monaſterio indultis fatetur; & ne ullus ſubeſſet dubitandi locus, diſertè ſe Filiam Rogerij Comitis Calabriæ, & Siciliæ dicit in duobus Diplomatibus Piſticienſi Monaſterio conceſſis à Radulpho ſuo conjuge (*a*) anno 1100., & 1101., quare meritò à Rogerio Rege Boſſi Filio Emma (*b*) ſoror appellatur.

Et ob id etiam Fridericus ſecundus Imperator eam Amitæ (*c*) nuncupatione dignat, cum Emma ſoror fuerit Rogerij Regis, Patris Conſtantiæ, ac proindæ major Amita Friderici Conſtantiæ Filij. Quin etiam Willelmus Secundus in quadam Charta prò Monaſterio S. Mariæ Joſaphat, quæ in Tabulario Monaſterij S. Nicolai Catanæ aſſervatur, Emmam Comitiſſam Conjugem Radulphi Machabæi, Filiam dicit Magni, & inclyti Comitis Rogerij ſiculi.

Emmæ autem Mater Juditha fuit, Filia Willelmi Ebroicenſis, qui Nepos erat Riccardi primi Nortmanniæ Ducis, & Hedeviſæ viduę Roberti de Grentemeſmil, quæ una cum Sorore Emma apud Uticum (*d*) in Capella S. Ebrulphi Sanctimonialium votum cuſtodientes, cum deſpici viderentur ob Roberti Fratris S. Ebrulphi Abbatis exilium, ad eum in Calabriam venerunt, & utraque nupſit, Juditha quidem Rogerio Comiti, Emma verò alteri; quare falſo Ordericus ambas ſteriles obijſſe narrat; Nàm Juditha (à Malaterra (*e*) Amanuenſis forſan errore Delicia vocata) Rogerio edidit Mathildam (*f*), & Emmam in Gallijs nuptas, ut diximus, & noſtram itidem Emmam; & ob id Radulphus Machabæus Juditham, Socrum ſuam (*g*) vocat, ab

ejus-

(*a*) Ughellius Acher.
(*b*) Regeſt 1124. & 1146.
(*c*) Ibidem 1292.
(*d*) Ordericus Vitalis in Hiſtoria.
(*e*) lib 2. cap. 19.
(*f*) Malaterra lib. 3. cap. 22.
(*g*) Regeſtum an. 1099. menſe Maij.

ejuſque nomine primam Filiam Judithæ nomine inſignivit. Nec mirum Ordericum Argluui, & continuè in uticenſi Monaſterio in Nortmannia morantem ignoraſſe, quæ in ulteriori Italia contigerant; & certè præferendus in hoc omninò eſt Malaterra, qui ſcribebat, quæ ipſe vel viderat, vel à Rogerio Comite, cujus juſſu opus aggreſſus eſt, audiverat.

Emma verò de noſtro Monaſterio ob plura privilegia indulta optimè merita, Rogerium, & Juditham ſuis Parentibus cognomines, necnon Adelaſiam genuit, de quibus in Familia Machabæa locuti ſumus. Modò igitur ad Rogerium ejus Fratrem progrediamur, ex quo longa ſeries ducenda ſupereſt eorum, qui erga noſtrum Monaſterium liberales manus exercuere.

Rogerius Siciliæ Rex, Rogerij Boſſi ex Adelaſia Filius, plures habuit Uxores; ſiquidem primò duxit Filiam Petri Leonis, Sororem Anacleti, cujus Schiſma ſummo ſtudio promovit; ſecundò Ayroldam invexit ex Comitibus Marſicanis: Tertiò ſe Alvinæ copulavit Filiæ Alphonſi VI. Caſtellæ Regis, ex qua Rogerium ſibi æquivocum, Amphuſum, Willelmum, & N. feminam habuit; horum autem, Rogerius Apuliæ Dux anno 1130., & anno 1139. Dux Neapolis à Patre dictus; Amphuſus verò anno 1135. Princeps Capuæ factus, & deindè etiam Neapolis, Patrem ambo morte prævenerunt. Willelmus igitur Rogerium Patrem in Regno excepit, mali nomine ob impia facinora notatus: N. demùm Filia, Maritum ſortita eſt Adamum Avellinum, Filium Adelaſiæ, cujus memini cum Radulphi Machabæi Filios recenſerem. Quarta Rogerij Uxor Sybilla Ducis Burgundiæ Filia, improlis mortua, in Cavenſi Monaſterio tumulatur. Quinta tandem Uxor Beatrix fuit, Comitis Retheſtenſis Soror, quæ anno 1153. ducta, Conſtantiam edidit poſthumam, cum Rogerius eximiæ Virtutis Princeps, & in noſtrum Monaſterium munificus, anno ſequenti 1154. deceſſerit quarto Kal. Maij, ætatis ſuæ 59., Regni verò 24.

Conſtantia Regis Rogerij Filia poſthuma, à Willelmo ſecundo ex Fratre Nepote in Uxorem Henrico VI. Fride-

 rici I.

rici I. Imperatoris Filio data eſt, dum Annum ageret trigeſimum primum, omnibus Regni Proceribus Trojæ in Apulia Sacramento obſtrictis à Willelmo ad fidelitatem ſervandam ſuæ Amitæ Conſtantiæ, ejuſque Conjugi Henrico, ſi ipſe abſque liberis decederet. Celebratis autem Regijs Nùptijs Mediolani anno 1186., in Germaniam ambo conceſſere; ubi ipſis commorantibus, vitaque functo Willelmo anno 1189. ſine Filijs, Tancredus Rogerij Regis Nothus Regnum ivaſit. Verùm Henricus, & Conſtantia in Italiam à Cœleſtino III. acciti, Romę anno 1195. Auguſtali Corona redimuntur; indeque in Siciliam ſolventes, ad eam è manibus Tancredi vindicandam; id nonniſi poſt triennium, Tancredo defuncto, ejuſque Filio Willelmo Tertio oculis, & virilibus mulctato, perpetuoque Carceri incluſo, aſſecuti ſunt. Ex Henrico autem VI., qui anno 1197. obijt, peperit Conſtantia Mariam Conradi Marchionis Moraviæ Conjugem, & Fridericum Secundum Imperatorem, dum ipſa annum trigeſimum octavum ageret. Putidæ enim, ac anilis fabellæ loco habetur eum (a) Baronio, & (b) Roccho, Conſtantiam regularibus votis obſtrictam, è Monaſterio ad maritalem Torum convolaſſe, pontificij reſcripti indulgentia; & propè ſexagenariam periſſe.

Fridericus ſecundus Imperator, Friderici Ænobarbi Avi nomen aſſumpſit; abjecto illo Rogerij, quod ei naſcenti anno 1193. Mater Conſtantia indiderat; Sacro Baptiſmatis Fonte quadrimus Aſſiſij ablutus anno 1210. Romanorum Imperator eligitur, & Romæ anno 1220. ab Onorio III. Auguſtus coronatus. Ex præcipua Nobilitate ſex Principes feminas duxit, ex quibus plures Filios, Filiaſque habuit; ſed tot legitimis Uxoribus haud contineri potuit, quin ad alienos amplexus rueret; Nàm Blanca Lancea, Montis Ferrati Marchioniſſa, & Soror Goffridi Malettæ Comitis Minei, & Triventi, & M. Camerarij Siciliæ ei tres filios peperit, Manfredum, Hentium, ſeù Henricum Sardiniæ Regem, qui Bononiæ captivus obijt, & Federicum

An-

(a) Ad annum 1186.

(b) Tom. I. Sicil. ſac. in Geneal.

Antiochiæ Principem. Tandem in Caſtro Florentino Apuliæ anno 1250.; ætatis 57. è vivis exceſſit, Princeps ſummis laudibus extollendus; immò etiam pietatis prærogativa ob indulta in favorem Eccleſiarum privilegia, quorum plura etiam noſtro Monaſterio contulit, foret dignandus, ſi tot naturæ, & fortunæ dona impia in Deum, hominesque fide non corrupiſſet.

Manfredus Friderici Nothus, ex Blanca ortus nobiliſſima femina; utpotè, quæ ex Paterno Lanceæ, Materno verò Maleƈtæ ſanguine procreata, præ cæteris Fratribus à Patre dilectus, ab eo Princeps Tarenti dictus fuit, & Comes Gravinæ, Tricarici, & Montis Caveoſi; necnon honore Montis S. Angeli, quem ejus Matri pridem Imperator largitus fuerat, honeſtatur; quæ omnia imperiali Munificentia poſſidebat cum mero (a), & mixto Imperio in Allodium, non autem in Feudum. Mortuo Patre, uti Bailus ſui Fratris Conradi, Romanorum Regis, & Regnorum Siciliæ Hæredis, Andrienſibus, & Foveanis rebellantibus leviter caſtigatis, Barulum acrius mulƈtavit. A Conrado deindè, qui in Italiam venerat, Brundusio, haud ignobili Tarentini Principatus portione ſpoliatus, & honore Montis S. Angeli; paulopoſt etiam privatus eſt Comitatu Gravinæ, Tricarici, & Caveoſi; ei ſolum permiſſa precaria Principatus Tarentini Adminiſtratione. Verùm mortuo Conrado propè Lavellum anno 1254., Manfredus Conradini Nepotis trium annorum pueri Tutelam à Regni Dynaſtis oblatam ſuſcepit, quam Bertholdus Marchio à Conrado inſtitutus Bailus gerebat. Tandem cum fama increbuiſſet Conradinum Regni Hæredem jàm obiiſſe, Manfredus ab omnibus Rex proclamatur, & Panormi anno 1258. inungitur, Summo Pontifice reluctante; qua propter gravi bello, ancipiti fortuna diù geſto, tandem à Carolo Andegavenſi, acie victus in Campis Beneventanis anno 1266. occubuit, ejusque corpus inter alia cadavera inventum, abſque ulla pompa in profano Tumulo, ut diris devotum reconditur. Manfredus autem, cujus plura in noſtrum Monaſterium extant beneficia, ex Beatrice Filia Ama-

(a) Anonymus in Calce Tom. 9. Ughell.

Digitized by Google

Amadei Comitis ſabaudiæ, quam vivente adhuc Imperatore deſponderat, Conſtantiam ſuſcepit, & Beatricem, quæ deindè à Barulenſibus Carolo primo Andegavenſi perfidè prodita, precibus tandem Petri Aragonij ſororij libertate donata, Manfredo Salutij Marchioni nupſit.

Conſtantia Manfredi, & Beatricis Filia, anno 1262. à Patre, qui præclara affinitate Siciliæ Regnum undique nutans ſibi magis firmare ſtudebat, in Uxorem conceſſa eſt Petro Aragoniæ Regi cum Dote duodecim aureorum miriadum, cui poſt Conradini mortem nobile acceſſit auctarium juris ad utriuſque Siciliæ Regnum; hiſce autem nuptijs, ſurculi Guiſcardi, & Rogerij diſſecti per tot generationes, invicem iterùm inſerti, in arborem tot Principum feraciſſimam exerevere. Conſtantia enim plures Filios, Filiaſque peperit, quos inter fuere Alphonſus, & Jacobus, & Eliſabetha Dionyſio Portugalliæ Regi nupta, quæ miraculis præfulgens ab Urbano VIII. inter Cælites fuit recenſita. Antequam verò Stemma Rogerij Boſſi demus, præ oculis ponamus oportet.

Ge-

Genus Maternum (a).
Emmæ Comitiſſæ,

Riccardus primus Dux Normanniæ.

Robertus.


Willelmus — Hedeviſa vidua Roberti de Grentemeſnil.

Willelmus. — Juditha Uxor Rogerij (b) — Emma.

Emma Comitiſſa Montis Caveoſi.

Ro-

(a) Hiſtor. Ducheſ. fol. 1083.
(b) Ibidem fol. 469., & 484.


Rogerius Boſſus.
Riccardus Siniſcalcus.
Emma Com. Montis Caveoſi.
Gaufridus à Raguſia.
Emma Altera.
Rogerius Rex. C.
Mathildis Avellini.
Sylveſter.
Gaufridus C. M.Caveoſi.
N.Uxor, Adami C. Avellini.
Willelmus, Malus R.,
Conſtantia, Imperatrix,
Tancredus Nothus.
Willelmus Bonus.
Rogerius.
Fridericus ſecundus Imperator.
Maria Moraviæ Marchioniſſa.
Manfredus Rex.
Conradus Rom. R.
Conſtantia Regina.
Conradinus.
Jacobus 2.

ARA-

# ARAGONUM, ED CASTELLÆ ALIQUOT REGUM SERIES GENEALOGICA.

JAcobus ſecundus Juſtus, Petro Tertio cognomento Magno Aragonum Regi ex Conſtantia (*a*) Manfredi Filia natus, præmortuo ſine liberis Alphonſo Tertio munifico, Fratre natu majori, ex Siciliæ Regno, quod ei jure materno contigerat, ad avitum Aragoniæ anno 1291. tranſijt; & ex Blanca pijſſima femina Caroli ſecundi Andegavenſis Filia, anno 1295. ſibi copulata, habuit Jacobum, qui Regni Juribus ceſſit, Alphonſum Quartum, & alios; è vita autem migravit anno 1327. ætatis 66., Regnorum verò 36.

Alphonſus Quartus Benignus ex Tereſia Urgelitani Comitis hærede Petrum habuit Quartum, Jacobum Urgelitanum Comitem, & alios; cum autem octo tantùm annis regnaſſet, anno 1336. fato ceſſit.

Petrus Quartus, Cæremonioſus dictus ob nimium ſtudium in procurando cultu Regio (*b*) impenſum; inter meliores numerandus, ſi à Domeſticis contentionibus, & à Sanguine Familiarium abſtinuiſſet; ob ſævitiam enim ab aliquibus criminoſus nuncupatur. Ex Eleonora autem Ludovici Regis Siciliæ Sorore, quam anno 1349. duxerat, nati ei ſunt Joannes, & Martinus, alter poſt alterum Aragoniæ Reges, & Eleonora Matri æquivoca. Denìum anno 1387. ætatis ſuæ 87. Regni verò 51. Petrus occubuit.

Eleonora Petri (*c*) Quarti Filia, Joanni primo Caſtellæ, & Legionis Regi in Matrimonium collocata, Henricum Tertium, qui Patri ſucceſſit, & Ferdinandum ad Aragoniæ Regnum deindè vocatum enixa eſt.

Henricus Tertius valetudinarius, Patrem anno 1390. in Caſtellæ Regno excepit, undecim tantum annos natus; & cum Luſitanos, ac Granatenſes Armis compreſſiſſet,

E e To-

(*a*) Marinæus lib. 11.
(*b*) Idem ibidem.
(*c*) Blancha in Hiſtor., Catthag. in Anacephal. Sanctius p. 4. Cap. Marinæus lib. 11.

Toleti, dum grave bellum eſſet aggreſſurus, moritur anno 1406., relicto Filio Joanne ſecundo ex Maria Aragonia.

Joannes ſecundus nondum duos annos natus, Regnum adeptus eſt ſub Ferdinandi Patrui Tutela; & pluribus bellis, præcipuè contra Mauros Granatenſes proſperè geſtis, anno 1454. deceſſit, ætatis ſuæ quinquageſimo; relicto ex ſecunda Uxore Eliſabetha Joannis Portugalliæ Regis Filia, Henrico IV. Regni hærede, qui improlis obijt, & Eliſabetha Matri Cognomine.

Eliſabetha (*a*) Joannis ſecundi Caſtellæ Regis Filia, Ferdinando Catholico Regi Aragonum in Matrimonium conceſſa; Fratre anno 1474. defuncto, Regnum Caſtellæ, Aragoniæ Regno adjecit; ſuiſque ſub auſpiciis Columbus in novum orbem invectus eſt. Obijt autem Eliſabetha anno 1504., cum Joannem peperiſſet Parentibus præmortuum, & quatuor Filias, quarum ſecunda fuit Joanna, Philippo Archiduci Auſtriæ nupta; ſed modo ad Reges Aragonios brevi facto diverticulo redeamus.

Ferdinandus (*b*) primus Eleonoræ Aragoniæ, & Joannis primi Regis Caſtellæ Filius, cognomento honeſtus, ob præclaram animi integritatem; quippe qui Regnum Caſtellæ à Primoribus conſtanter oblatum, invictè reſpuit; illudque Joanni ſecundo Nepoti debitum cuſtodivit, quo inſigni facinore promeruit, ut ipſi etiam jus ad Aragoniæ Regnum fuerit attributum; nam cæteris neglectis, qui Regnum illud ad ſe ſpectare jactabant, ipſe à Judicibus arbitris Rex fuit pronunciatus anno 1412.

Ex Eleonora autem Albuquerquia, præter alios, Alphonſum Quintum, & Joannem ſecundum Regni hæredes habuit. Inter vivos tandem eſſe deſijt anno 1417., cum annum ageret 43., Regni vero quintum.

Alphonſus Quintus Magnanimus, qui Regno Aragoniæ, & Siciliæ, Regnum adjecit Neapolitanum, non tam jure adoptionis ei à Joanna ſecunda tributo, quàm armis, quibus anno 1442. Renati Andegavenſis conatus feliciter re-

(*a*) Mariànæus lib. 19.
(*b*) Ibidem lib. 18.

repreſſit. Et cum nullum ei filium peperiſſet Maria Henrici Tertij Caſtellæ Regis Filia, moriens anno 1458., ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, Joanni Fratri Aragoniæ, & Siciliæ Regnum reliquit. Regni verò Neapolitani ſua virtute parti, Ferdinandum ex illicito Toro ſuſceptum ſcripſit hęredem. Joannes ſecundus Magnus, Fratris Alphonſi ſine legitima prole defuncti ſucceſſor, Pater fuit Caroli Principis ex Blanca Regis Navarrę Filia, & hęrede nati, qui tamen Patris fata prævenit. Ex ſecunda verò Uxore Joanna Enriquez ortus eſt Ferdinandus Catholicus, & Joanna Ferdinandi primi Regis Neapolis Uxor, necnon Maria, & Eleonora, quę innuptę obierunt. Joannes autem devexa jam 85. annorum ętate deceſſit anno 1479.

Ferdinandus ſecundus Catholicus, Patre adhuc ſuperſtite, Eliſabetham Henrici Quarti Caſtellę Regis ſororem duxit; quo conjugio Caſtellę, & Aragonię Regna felici nexu copulata ſunt; ut indè facilè fuerit ad pręcipuarum Europę, & Americę Regionum Principatum Nepotes vocari. Horum Filius Joannes, Margaritham Maximiliani Imperatoris Filiam duxit, ſed improlis Parentibus præmoritur; ex Filiabus verò, Iſabella Portugalliæ Regina, ipſa etiam cum Filiò præcoci fato abripitur. Joanna Philippo Auſtriò nupſit, Maria Regem itidem Portugallię Maritum habuit, & Catharina, quę Arturo primum, deindè Henrico Octavo illius Fratri, Regi Anglorum data eſt in Matrimonium. Mortua verò Eliſabetha prima Uxore, Ferdinandus Germanam Foxiam duxit, quę quidem Filium peperit, ſed brevi extinctum. Undè Ferdinandus anno 1516. moriens, ętatis ſuę ſexageſimo quarto, omnium Regnorum hęredem Joannam reliquit, Auſtrij Archiducis Uxorem, & Caroli V. Imperatoris Matrem.

Regum autem Aragonię, & Caſtellę quos recenſuimus, hoc eſt ſchema.

Jacobus II. Juſtus Filius Petri, & Conſtantiæ

Jacobus — Alphonſus IV. Aragoniæ Rex

Jacobus Urgelitanus, Petrus IV.

Joannes, Eleonora Uxor Joannis primi Regis Caſtellæ, Martinus.

Henricus III. — Ferdinandus I.

Joannes II. — Joannes II. — Alphonſus V.

Henricus IV., Eliſabetha — Ferdinandus — Ferdinandus I. Nothus
Caſtellæ Regina | Catholicus Rex — Neapolis, de quo
Aragonum Rex — fol. 302.

Joanna Archiduci
Auſtriæ nupta

NEA-

Digitized by Google

## NEAPOLITANI REGES ARAGONIJ

Ferdinandus Primus, Alphonſo Quinto Aragonio Regi (a) ex Pellice Carlina Vilardana Valentiæ natus, Eugenij Quarti reſcripto ad legitimorum Natalium jura promotus, Patrem in Regno Neapolitano excepit anno 1458., quod per 36. annos varia fortuna uſus, moderatus eſt; Subditis ob avaritiam, & crudelitatem parùm acceptus. Ab Innocentio VIII. diris devotus, præcipuos Regni Dynaſtas, qui Pontificis ſuaſionibus ab eo deſciverant, falſis allectos promiſſis ſæviſſimè caſtigavit; Tandem anno 1494. tædio civilium turbarum, ac metu bellici apparatus è Gallia imminentis perculſus, ſeptuagenario major interijt; Cum ex prima Uxore Iſabella, Filia Triſtani Comitis Cupertini, & Catharinæ Urſinæ ex Principibus Tarentinis ſuſcepiſſet, præter alios, Alphonſum ſecundum, & Federicum Reges Neapolis; ex Joanna verò Joannis Regis Aragoniæ Filia, Joannam habuit cognominem.

Alphonſus ſecundus Patris Ferdinandi mores, & fortunam ſecutus, adventantis Caroli VIII. Gallorum Regis fama perterritus, Regnum Ferdinando Filio tradidit; & Meſſanam ſecedens, Divi Benedicti habitum in Congregatione Montis Oliveti induit, ac paulopoſt Regni abdicati pœnitentia tactus deceſſit.

Ferdinandus ſecundus ex Hippolytha Sforzia Franciſci Ducis Mediolani Filia, & Alphonſi ſecundi Uxore natus, Patris abdicatione Regnum adeptus anno 1494., ſtatimque ab eodem ejectus à Carolo octavo, illud paulòpoſt Italorum Principum in Gallos conjuratione facta, feliciter recuperavit; & cum omnibus charus eſſet ob ſingularem morum ſuavitatem, & Indolis egregiam formam, communi ſubditorum mæſtitia extinctus eſt anno 1496., pridie nonas Octobris.

Federicus Ferdinandi primi Filius, ſublato Ferdinando Nepote abſque prole, magna omnium ordinum lætitia ad Regnum capeſſendum vocatur; quod ei in Gallijs agentia

(a) Sanctius par.4.Cap.28.

Digitized by Google

ti à quodam Tarentino Cive Angelo Gatto, qui deindè Archiepiſcopus fuit Viennenſis, prænunciatum fuerat (*a*). Adeò tamen à Regnandi cupiditate eximius Princeps fuit alienus, ut cum anno 1485. à Patre Salernum miſſus fuiſſet ad Procerum Rebellium animos demulcendos ſua Comitate, qua omnibus erat gratiſſimus; & iſti, Ferdinandi Regis, & Alphonſi Filij crudele ac ſubdolum ingenium averſati, ipſum ad Regnum capeſſendum impuliſſent; ipſe conſtantiſſimè, ac generosè reſtiterit; quare per ſummum Nefas in carcerem conjectus eſt; à quo tamen quidam Corſus, Nobilis Familiæ (*b*) Bocciæ, qui Roberto Salernitano Principi, conjuratorum præcipuo, ſtipendia faciebat, cum muliebri veſte indutum ſubduxit; cujus beneficij memor Federicus, Corſum Toparchia in Salentinorum Finibus donavit, quam longo tempore Nepotes tenuere, hodièque tenent. Regno autem adepto, non diù licuit frui; præter omnium enim expectationem conjurantibus in eum anno 1497. Ferdinando Aragoniæ, & Ludovico Galliæ Regibus, impotens hoſtilem impetum retundere, maluit ad Gallum apertum hoſtem, quam ad Hiſpanum, conſanguineum ſe recipere. A' Ludovico autem comiter acceptus, Andegavenſi Comitatu ad Regiam Dignitatem utcumque tuendam donatus fuit; Tandem Turonis, gloria adverſæ fortis æquo animo toleratæ clarus, & meliori fortuna dignus, die nona Novembris anni 1504. è vivis receſſit. Ei verò, cum adhuc Princeps eſſet Altamuræ, & Comes Montis Caveoſi, noſtrum Monaſterium debet ampliſſimum privilegium, quod omnium antiquarum Conceſſionum jure dici poteſt Synopſis. Ex prima Uxore Anna, Filia Amadei Sabaudiæ Ducis Carlottam recepit, in Gallijs matrimonio collocatam. Ex Iſabella verò Baucia, Alphonſum habuit Calabriæ Ducem, qui ab Hiſpanis deceptus, in Hiſpaniis captivus ducitur, Cæſarem, Iſabellam, & Juliam; qui omnes paternæ infelicitatis hæredes, inglorij, & in privata fortuna dies ſuos egerunt.

Joanna Ferdinandi primi ex Joanna Aragonia Uxore Fi-

(*a*) Cominæus lib. I. Belli Neapol.
(*b*) Giannataſ., & alij in Hiſtor. Neapol.

Digitized by Google

Filia, Ferdinando ſecundo Nepoti anno 1496. nupſit; Et cum nullum ei Filium peperiſſet, mortuo Marito, à Ferdinando Catholico Avunculo paucos poſt annos Carolo Sabaudiæ Duci deſponſa fuit cum Dote 200.m. aureorum; & quamvis matrimonium infectum remanſerit; attamen non ſemel ſe Sabaudiæ Duciſſam nuncupavit. A' Fratre Federico Comitatu donata Montis Caveoſi, & Pomarici, Inventarium generale confici juſſit omnium Prædiorum Monaſterij, cujus beneficio, jure poſſeſſionis firmato, à jurgijs, & litibus Monachi vacarent, & pacis otio fruerentur. Fatum ſubijt die vigeſima ſeptima Auguſti anni 1518., quod anno præcedenti ſuo funere Mater Joanna præceſſerat; Regum verò Neapolis ex Aragonia Familia prodeuntium ſubijcitur Catalogus, quo Genealogicam eorum ſeriem, qui Caveoſano Cænobio beneficia contulere placuit abſolvere. Et quamvis Auguſta Domus Auſtria plures dederit Principes optimè de Monaſterio meritos, qui facili negotio ab inclyto Altavillano ſtipite deduci poſſent, cum Joanna Ferdinandi Aragonij, & Eliſabethæ Caſtellæ Reginæ Filia, Philippo Archiduci Auſtriæ nupſerit; attamen illis temporibus ij Imperium tenuere, ad quæ noſtra Hiſtoria Chronologica, cujus hæc Genealogica ſeries eſt Appendix, non pertingit.

Al-

Digitized by Google

Alphonſus Quintus
Aragoniæ Rex

Ferdinandus I. Rex Neapolis

Federicus Rex, Alphonſus II. Rex, Joanna Regina

Ferdinandus II. Rex

# F I N I S.

Digitized by Google

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Fol.1.l.18. operæ prætium | operæ pretium |
| Fol.12.l.38. *(a)* Chron.Caſin. l.4.cap.11. | (a) Ducange in Gloſſario |
| Fol.13.l.38. *(a)* Ducange in Gloſſario. | (a) T.7. Italiæ Sacræ |
| Fol.14.l.37. *(a)*T.7.Italiæ Sacræ | (a) Deciſ.797. p.4.diverſ. anno 1597. non 1594., ut habet impreſſum |
| l.38. Deciſ.797. p.4. diverſ. anno 1597. non 1594. ut habet impreſſum | (b) Apud Baron. ann. 968. num.60. |
| l.33. Cantelius *(c)* Jure | Cantelius de Eccleſ. Metropolit. jure |
| Fol.15.l.37. *(a)* Apud Baron. an.168.num.60. | (b) Labe T.9. fol. 654., & 773. Edit. Pariſien |
| l.38. *(b)* De Eccleſ. Metropolit. | (b) Ad annum 964. |
| l.39. *(c)* Labe T.9. fol. 654., & 773. Edit. Pariſien. | (c) Ughellius in Mantuanis |
| l. 39. *(e)* Ughellius in Mantuanis | (d) Protoſpatha in Chron. |
| Fol.24.l.22. grandiuculi | grandiuſculi |
| Fol.34.l.1. homines, quælibet | homines, & quælibet |
| Fol.35.l.3. tritica | triticea |
| Fol.42.l.23. quæquis | quævis |
| Fol.43.l.34. Aheruntinæ | Acheruntiæ |
| Fol.54.l.17. veritus, ac eadem | Veritus, ne eadem |
| l.25. Monachorum | Monachorumque |
| Fol.57.l.8. Anno 1115., quo | Anno 1125., quo |
| l.21. Exiqui | Exigui |
| Fol.60.l.31. eſt. Quamvis | eſt; & quamvis |
| Fol.66.l.10. deucitis | deviĉtis |
| l.24. obtinit | obtinuit |

Fol.72.

Digitized by Google

| | |
|---|---|
| Fol.72.l.27. Drojanum | Trojanum |
| Fol.76.l.17. delata | deleta |
| Fol.82.l.29. graviter | gnaviter |
| Fol.88.l.15. biloſi | Pelusij |
| l.36. delatus aquodam | delatus fuerit aquodam |
| Fol.89.l.1. partitum | partium |
| Fol.95.l.33. viſitationis | viſitationem |
| Fol.102.l.2. detelentur | delerentur |
| Fol.104.l.20. acceſſeret | arceſſeret |
| Fol.110.l.34. imo Andriæ | imo ut Andriæ |
| Fol.112.l.17. quamquis | quamvis |
| l.18. explicavit | explicuit |
| Fol.115.l.25. actores | Auctores |
| Fol.117.l.23. ſe promittens | ſe verò promittens |
| Fol.124.l.38. Populo , frequens | Populo , qui frequens |
| Fol.171.l.27. 1487. | 1437. |
| l.29. Pronotarius | Protonotarius |
| Fol.188.l.7. plurimum | plurium |
| Fol.196.l.1. Rex quo | Rex , de quo |
| l.25. Berengeria | Berengaria |
| Fol.198.l.3. Raymundus Secundus | Raymundus Quintus |
| l.7. Raymundus Secundus | Raymundus Quintus |
| l.7. fol.283. | fol.207. |
| l.10. fol.268. | fol.199. |
| l.10. fol.272. | fol.196. |
| Fol.217.l.1. ED | ET |
| Fol.220.l.9. fol.302. | fol.221. |

527342

527342

Digitized by Google

30

Digitized by Google